ORATIO PIA, RELIGIOSA, ET SOLATII PLENA, DE VERA ANIMI TRANQVILLITATE.

Authore Ioanne Bernardo *Cantabrigiensi.*

LONDINI,
Apud Gulielmum Seresium.
1568.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

PRÆCLARO VIRO,

Petro Osburno, thesaurarij Scaccarij illustrissimæ reginæ Elisabethæ, rememoratori fidelissimo. Thomas Bernardus perpetuam optat fœlicitatem.

POST FRAtris mei, mihi quidem acerbam, ipsi verò immaturam mortem, cum in eius armario versarer, eorum, quæ reliquerat, rationẽ initurus, incidit forte in manus hæc de vera animi tranquillitate oratio, quam ille in illa superiorum annorum tempestate cõscripserat, cum propter religionem optimi quiq; aut latitarent, aut exularẽt, aut inclusi tenerentur, quidam etiam raperentur ad mortem, vt, qui ex rerum humanarũ perturbatione dolor acciderat, acriore diuinarũ

rerum meditatione leuaretur. Similiter fecisse leguntur multi præclarissimi viri, vt in grauissimis casibus, vel suis, vel publicis, terrena relinquerent, cœlestia cogitarent, infera dimitterent, ad supera contemplationis alis euolarent, eaq; ratione securo, pacato, tranquillo animo agitarent, ad omnia non aliter diuinis cogitationibus cõmuniti, quàm aduersus retia naturalibus pennis volatilia. Nimirum sic dispensante illo, cuius prouidentia diligentibus ipsum omnia cooperãtur in bonum, vt quanta rebus aduersis ingruentibus facta est decessio facultatum, tanta, aut etiam maior rebus cœlestibus cõmentandis fiat accessio virtutum. Atq; haud scio quidem, si fallacis prosperitatis semper hic tranquillitas arrideret, an vnquam humana anima, portum illum veræ, certæq; securitatis appeteret. Estq; mundus iste periculosior sine dubio, blãdus, quàm molestus, & magis cauendus, cum se inuitat amari,

quàm

quàm tum admonet, cogitq; contemni. Sed fructum ex malis non omnes, aut vtilitatem capiunt, verùm hi duntaxat, qui deum diligũt, omniaq; præ amore eius contemnũt, & pro nihilo putant, quiq; sibi persuasũ habent, vt res prosperas consolantis, ita res aduersas donum esse admonentis dei. Tales enim viri, non solùm temperantiam in rebus secundis, verumetiam patientiam in rebus asperis vigilanter exercent. Illas sic sumunt, vt ne capiantur, istas sic ferunt, vt ne frangantur. Neq; enim, sicut plæriq;, aut rerum affluentia gestiunt insolenter, aut reflante fortuna intoleranter languent. Cũq; alios videas angoribus datos, curis confectos, & calamitate fractos, istorũ nunquam animaduertas abiectum, aut debilitatum animum, sed erectum semper, excelsum, inuictum. Et sicut ad loca munitiora festinatius migrant, qui ruinam domus vident, contritis parietibus, imminere: ita fortes animi quanto ma-

gis sentiunt mundi huius ruinam, crebrescẽtibus tribulationibus, propinquare, tanto maiorem dant operam, illius se molestijs expedire, & ad superna impigra celeritate cõtendere. Nunquam satis digna laude efferri poterit ille Philo Iudæus, qui cum apud Caium Caligulam pro suis hominibus obiret legationem, & pro ijsdem ad eum grauissimam haberet orationem, sed quæ illius animum vehementer irritauit, iussus ab eo discedere è conspectu suo, egressus ad comites: Bono (inquit) animo nos esse oportet, quibus offensus est Caius, quia necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium. Quæ fuit ratio fratri meo suscipiendi laboris huius, vt derelictis ab humana ope bonis omnibus, ad diuinam bonitatem implorandam, & meditandam sese accenderet. Qua in re quam fœlices successus fuerint consecuti, tum ipse ad summam animi voluptatem expertus est, tum verò noti eius

sunt

sunt vehementissimè admirati. Ego cui omnem eius vitæ rationem notissimã esse propter necessitudinem nostram oportebat, hoc de illo verè affirmauerim, cum antea fuisset non effœminato animo, tum post hanc lucubratiunculam, fuisse planè inuicto. Porrò cum non minor ex eadem vtilitas, non mea solius opinione, qui abundantia quadam amoris errare potuerim, verumetiam pietate, & scientia præstantium quorundam virorum exquisito iudicio, ad cæteros prouentura esse videretur: non potui, vel tam accuratam sermonis puritatem, vel tam nobilem ipsius rei dignitatem, vtilitatemq; tam exploratam, ab hominum notitia diutius detinere, maximè, cum hoc pacto viderer quasi semen excitaturus fratri meo, eius nomine ab interitu vindicando, id quod Israelitico populo fuit antiquitus diuina lege præceptum. Nam cum multa sint hominum inter homines vincula societatum, nulla tamen

est

est arctior colligatio, quam propinquorum: nec in ipsis propinquis vlla copulatior, vlla charior, vlla amabilior, quàm fratrum. Declarant id multa à multis propter pietatem fraternæ charitatis, cum summa omnium admiratione, gesta. Est in historicis, quendam ex Darij socijs, qui cum eo Persarum regnum à Magis occupatum ferro vindicauerant, post summam imperij delatam Dario, cum à cubiculi ministro, aditus regis illi negaretur, ira percitum, aures ministro nasumq; abscidisse, ob eamq; noxam, cum omni virili stirpe, ad supplicium iussu regis arreptum esse. Quo audito iacuit vxor eius ad regis ianuam miserabiliter prouoluta, oppleta lachrymis, luctibus, eiulatu. Vnde ille miseratione perculsus iußit, vt vnum quempiam ex ijs, qui occidendi essent, sibi deposceret, eius vitam se lachrymis ipsius in orbitatis futuræ leuationem cõdonare. Hic nemo fuit, cui non persuasum esset, fore vt amantißimi

tissimi coniugis, vel certè cuiusspiam charissimorum filiorum sibi vitam peteret. Sed mulier depoposcit fratrem. Miratus rex, & viro, & filijs fratrem anteponi, hanc ab illa rationẽ accepit. Alium (inquit) virum habere, aliosq; suscipere ex eo filios potero. Fratrem verò, parentibus senio iam confectis, sperare alium non potero. Magna scilicet vis amoris extitit, & charitatis intima coniunctio, quæ tanto pretio, morte coniugis, morte filiorum redemit vitam fratris. Quin etiam non defuerunt, qui fratrum salutem prætulerunt saluti suæ. Augustus Cæsar, bello captum regem Cappadocum cum vxore, & duobus liberis, Romam in triumphum duxit, decreuitq;, vt pater cum maiore natu filio necaretur. Quamobrem cum ministri, ad hanc rem designati, peterent, quis ipsorum fratrum maior natu esset, vehementer inter se contenderunt, vtroq; se esse maiorem asserente, vt alterum fratrem

sua morte seruaret. Et cum diu in hunc modum pietate certassent, tandem maternis precibus victus, maior cessit, tulitq́, vt pro se minor, tanquã maior natu, moreretur. Hac ego illectus cupiditate seruandi fratris, non tamen meo aliquo, vel meorum commodo, sed multo magis impulsus studio communis vtilitatis, & animatus iudicio doctorum, lucubrationem hanc produxi in lucem, censuiq́ in vulgus esse propagandam. Quod autem tuo nomini consecrare, clarissime Osburne, tuisque auspicijs exire voluerim, quanquam multas rationes proferre facti mei possum, tamen, vt vno verbo dicam, fecit perpetua quædam admiratio mea vitæ tuæ. Debui ego quidem meo aliquo munere testificari tibi beneuolentiam meam. Et si quicquam tua dignum suppeditasset prudentia, equidem fecissem. Quanquam si ex veteri prouerbio, Amicorum omnia sunt communia, nihil prohibet etiam hoc ipsum

appellari

appellari meum. Sin quisquam sit, cui illud minus videtur esse, quam pro mei in te officij ratione, quia non est, quod tibi de meo offeram, meipsum defero. Sic enim persuadeas tibi velim, me obseruantia, studio, vsu, possessione tuum esse. Nec est, quòd quia cor meum videri non potest, quisquam me non ex animo loqui arbitretur. Nam certè amplius quid faciam non inuenio, nisi vt inspiciendum sermonem meum cum hominibus offeram, animum deo. Ille te, tuosq́, omni fœlicitate, tum præsenti, tum futura faciat beatos.

Vale.

Prosopopœia, in qua liber alloquitur lectorem, in laudem præclari viri Petri Osburni.

NE mea quem quæras, dederint mihi fata patronum,
Illius ecce meo nomina fronte gero.
Huius enim pietas, doctrina, scientia, virtus,
Ne iaceam inuidiæ præda relicta, vetant.
Suscepit miseros infenso tempore fratres,
Cum varijs scopulis obruta turba fuit.
Mitis in innocuos, & viuit iustus in omnes,
Nec viduæ causam vim violare sinit.
Est magnus studijs, studiosis fautor, & author
Qualis, dent superi, lector, vt esse queas. Vale.

HVMANISSIMO VIro Thomæ Bernardo, Ædis *Chriſti Oxonienſis Præbendario.*

ORationem fratris tui perlegi, vir ornatiſsime, in qua mihi videor, tanquã in ſpeculo, hominis verè Chriſtiani effigiem intueri. Quod ad iudiciũ meum attinet, nulla cauſa eſt, cur illud apud te aliquid põderis habere debeat. Cæterùm, quoniã tu ita vis, vel potius imperas (volo enim imperes potius omnia, quàm à me petas quicquam) ſententiam interponam meã, non vt iudex honorarius, ſed vt ſimplex veritatis teſtis. Sic igitur mihi ſcripta videtur, vt ſi quid vel addideris, vel detraxeris, vel immutaueris, deterius certè feceris. Nam & multa breuiter

uiter,& magna grauiter,humana ſua-
uiter,& variè,& diuina reuerenter, &
auguſtè,& omnia ſubtiliter, & ornatè
tractat. Quocirca ago tibi gratias im-
mortales, humaniſsime vir, quòd
monumenti tam præclari,& tanti the-
ſauri me participem feceris. Si in vul-
gus emiſeris,& literatis omnibus certè
quidem gratiſſimum feceris,& fratri,
iuueni ſine dubio omni laudis genere
excellenti, officium tuum præſtiteris.
Indignum,mihi crede,eſt, illud opus
in tenebris iacere, & obduci puluere,
& vel à muribus corrodi,vel vetuſtate
mori, quod authorem poteſt reddere
immortalem.Sed hæc omnia, tu pro
tua prudentia, nemo melius. Vale, vir
humaniſsime,& nos,id eſt,tuos, quod
facis,ama.

Studioſiſsimus tui
Rogerus Marbeccus.

DE VERA ANIMI TRANQVILLITATE à D. I. Bernardo Cantabrigiensi piè explicata carmen, Authore D. Laur. Humfredo sacræ theologiæ in academia Oxon. regio professore.

CRux Christi comes est, verbiq́, pedissequa crux est:
Si Christus præeat, crux simul vmbra venit.
Irrugit Satanas, conspirat, & vndiq́, mundus,
Ne Christus regni sceptra sacrata gerat.
Funditur hinc sanguis, sit, sitq́, ecclesia carcer,
Iobus adhuc patitur: Lazarus vlcus habet,
Ecquod in his turbis solamen, & ecquod asylum?
Mens bona, pax animi, est anchora sola bonis.
Hæc nullis meritis, non Marte, nec arte paratur,
Non opere aut opibus, quæritur hæc requies,
Hæc requies Christus, solùm confide, quiesces:
Cum Christo pax est: crux tibi suauis erit.
Ignem qui sparsit, flammas extinguit eadem,
Qui misit gladios, is cohibere potest.
Quo melius noscas, Bernardum consule nostrum,
Qui tibi Christiferam tradidit εὐθυμίαν,
Et dedit hæc iuuenis, tamen est oratio cana,
Et vitæ sanctæ testis, & arrancis,
Christe deus, nubes, tempestatesq́, serena:
Sit pax, tu nauem dirige, fiat, Amen.

IN EVNDEM LIBRVM CARMEN Ægidij Laurentij Græcæ linguæ professoris regij.

Εὐθυμίης δῶρον θνητοῖς ὑπερέντιμόν ἐστι,
Ταύτης μεῖζον ἔχειν οὐδενὶ δῶκε θεός.
Ἄγρια τῶν παθέων εὐνάζῃ κύματα αὕτη,
Ἀλγεα κοιμίζῃ, δεινὰ φέρει πινυτῶς.
Ἦλε βίον παρέχει δικάζειν εὐδαίμονα πᾶσι
Ἧς δίχα θνήσκειν χρὴ, ἢ κακοδαιμονέειν.

Ἦλε

Ἥδε λόγου μερόπεσσιν ἀκραιφνέα πάντοτε σώζει
Οὔποτ' ἐῶσα βροτοὺς δεινοπαθεῖν ἀλόγως.
Οὐδὲν τῶν πάντων γλυκὺ, εὐθυμίης ἀπεούσης,
Κτήματα, τέκνα, γυνὴ, φορτικὰ πάντα δοκεῖ,
Οὐδὲν τῶν πάντων πικρὸν, εὐθυμίης παρεούσης.
Πῆμα, νόσος, θάνατος, πάντα φορητὰ δοκεῖ.
Ἄξιος οὖν πλείστων Βέρναρδος ὑπάρχει ἐπαίνων.
Εὐθυμίης δῶρον πάμμεγα πᾶσι φέρων.
Ἧς ὄφελος πόσον, εἴσῃ ταύτην βίβλον ἀναγνοὺς,
Ἣν σοὶ μοῦσα νέου δαίδαλεν ἡδυεπής.

IOANNIS BVSTI
ad lectorem.

SI cupis à mundi mentem dissoluere curis
Lector, & æterna visere regna dei:
Hanc tibi sume viam, poteris sic esse beatus.
Hunc tibi sume ducem, qui tibi monstret iter.
Pax animæ quæ sit, quæ non sit vera doceris:
Vna animæ pax est: pax ea sola tuæ.
Hæc pax in medijs est anchora fluctibus, hæc pax
Afflictas animas, anxia corda leuat.
Nescia turba sumus, varijs obiecta procellis,
Fluctibus æquoreis, obsita mille malis.
Attamen haud vllum sic est fatale venenum
Cui non pax animæ, sit medicina tuæ.
Hac vis pace frui? Bernardo disce magistro,
Hac vis pace frui? disce quod ille docet.
Sic tibi nec Sathanæ, nec mortis tela nocebunt,
Quod pater omnipotens det tibi, detq́ mihi. *Vale.*

ORATIO PIA, RELIgiosa, et solatij plena, de vera animi *tranquillitate, authore Ioanne Bernardo Cantabrigiensi.*

COmmodissimũ erit, viri religiosissimi, & pietatis plenum, ac in malis omnibus paratissimum perfugium, si quod spe aggredior, reipsa præstitero, vt veram mentis tranquillitatem sedulò inuestigem, inuentam amatoribus eius quasi digito demonstrem, demonstratam studiosè amplecti, consectari & persequi extimulem, atque solicitem, vt obstaculis cunctis repulsis, omniq; scrupulo euulso, atq; amoto, nulla tam grauis afflictio, in vllo vitæ genere premat, quam non æquo animo perferant atque transmittant, quos inanitatum huius sæculi

tædet, & cogitatio nouæ vitæ inchoandæ cœpit, atque desyderio altius assurgendi, & ad meliora proficiendi affecit.

Sed quamuis res sit dulcissima, & omnibus omnium votis atque studijs exoptanda, quam eruere, demonstrare, iustisque laudibus exornare conabor, si tamen in orationis progressu deprehendero quod probandum videatur, arduum nihilominus erit, & immensę difficultatis negotium persuadere, vt quod quisq; opinionis errore sibi finxerit, deserat, & claram veritatis lucem, nõ solùm vultu approbet, oculis aspiciat, applausu foris excipiat, sed mens per fenestram cordis intromittat, & toto pectore amet, circũferat, ac nullis tenebrarum machinis expugnari, sibique extorqueri sinat. Nam omnibus ætatibus, & non minimè in philo-

sophorum

ſophorum ſcholis, tractata fuit quæſtio, ſicut de fœlicitate hominis, ſic de tranquillitate animi: de quibus doctiſſimorum ingenijs variè atque vehementer ſumma cum diſſenſione ſæpenumerò certatum memoriæ proditur, nec è diſcrepantibus eruditiſſimorum ſententijs magis, quàm ex diſſimilibus aliorum vitæ inſtitutis diſſenſio colligitur. Etenim indè placidam mentis pacem, ſe quiſq; percepturum ſperauit, vndè ſummi ſui boni originẽ ducebat. Philoſophi nobiles quemadmodum beatam vitam collocabant in cõtemplatione & cognitione rerum: ſic ingens illud tranquilli animi gaudiũ, ab ipſa ſcientia, & veri perſpicientia expectabant. Cur enim Democritus (vt traditur) oculis ſe priuaret, patrimoniũ negligeret, agros deſereret incultos, niſi vt animum quàm minimè

Tranquillitas philoſophorũ.

à cogitationibus abduceret, & ad vitã beatam atque ſummo ſtudio expetendam illam ſuam εὐθυμιαν aſpiraret? Apollonius Pythagoricorum opinione philoſophus (quomodo diuus Hieronymus in quadã ſua ad Paulinum epiſtola è Philoſtrato citat) tranſcendit Caucauſum, regiones Albanorum, Scytharum, Maſſagetarum peragrauit, penetrauit opulentiſſima Indiæ regna, et ad extremum latiſſimo Phyſon amne (quem nonnulli Gangem eſſe putant) tranſmiſſo, peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos diſcipulos de natura, de motibus ſyderum, ac dierum curſu docentem audiret: indè per Elamitas, Babilonios, Chaldæos, Medos, Aſſyrios, Parthos, Syros, Phænices, Arabes, Paleſtinos, reuerſus Alexandri-

xandriã perrexit Æthiopiã, vt Gymnosophistas videret, & famosissimam solis mensam in sabulo aspiceret. Tam magnum periculum hic vir in tam varijs regionibus peragrandis, tam multas difficultates in itineribus conficiendis, tantum laboris & molestiæ frustranè adijt, exhausit, deuorauit, quò celeberrimos orbis doctores, viua (quod aiunt) voce suæ sapientiæ disciplinã tradentes præsens audiret? An vt inueniret vbique quod disceret, & semper proficiens seipso indies melior euaderet, eoque pacto ad supremum illum fœlicitatis ac securitatis animi gradum, tot laboribus periculisq; expetitum pertingeret? Possum in eandẽ sententiam, ad ternarium numerum explendum, Cleanthem commemorare, & viuæ imaginis loco inducere, qui vnus exemplo suo sit instar omni-

um, ad excutiendum mortalibus tam grauem veternum, & tam altum ſocordiæ ſomnum, ingenerandumque laboris atque induſtriæ amorem: quẽ tradit Laertius, tanto philoſophiæ deſyderio exarſiſſe, vt cum inopia & paupertate magnoperè premeretur, noctu in hortis aquam hauriret, quò egeſtatem depelleret, interdiu verò ſtudijs ſuis atque lucubrationibus, operam aſſiduè & ſine intermiſſione nauaret. Eundem ferunt pecunijs deſtitutum, quibus chartas coëmeret, teſtis, boumque oſſibus, inſcribere ſolitum, quę à Zenone acceperat. Ecquid Cleanthum iſtum (quem à difficultatibus exorbendis alterum Herculem nominabant) tantos diurnos nocturnoſque labores ſuſcipere, tot vigilias tam ſedulò perferre atque exantlare, nunquam ſibi nec noctu indulgere,

nec

nec interdiu parcere coegit: nisi vt sudoribus suis immensis ad sapientiam illam summam omnibusque numeris perfectam ascenderet, quæ animū terrore ac metu liberatum, & cupiditatis æstu solutum atq; expeditum, omniq; turbido ac violento perturbationis motu vacuum, in beatissimo placidæ tranquillitatis statu collocaret, & suauissimo scientiæ ac solertiæ pabulo oblectaret? Quamobrem philosophorū vita, quem finem sibi proposuerit, & quam mentis securitatem consectata fuerit, & quò impetum illum atq; ardorem animi retulerit, cur nullas molestias, neque acerbitates in literario stadio conficiendo recusauerit, ex his quæ commemorata sunt, liquidò & perspicuè constat.

Tranquillitas Politicorum.

Iam nobilissimi rerumpub. principes atque rectores, & potentissimi reges, atque

atque imperatores, qui non securè contemplari possunt, vt philosophi, sed res gerere & rempublicam administrare debent, vt politici, ab eisdem actionibus animi tranquillitatem petunt, quibus beatam vitam persequi solent.

Nam ab ignobilitate & obscuritate nominis, quantum licet refugientes, ad gloriam ferè & honorem cursu incitato tales feruntur, & laudis atque splendoris appetentissimi, vel opibus domi tantum amplificandis student, si sint pacifici, vel imperij etiam finibus dilatandis, & exteris nationibus subigendis incumbunt, si sint bellicosi, & armorum cupidi. Quorum ambitio quid quærit, nisi vt expleatur? expletio autem ambitionis (si ambitio vnquam expleri potest) quid est nisi quędam animi tranquillitas, quæ efferueſcen-

ueſcentem cupiditatem reſtinguit & ſatiat. Senſit hoc Alexander, qui magni cognomen è rebus geſtis obtinuit, cuiuſque inexplebilis gloriæ auiditas, nulla vnquam victoria ſatiari potuit. Nam poſt innumerabiles in Oriente victorias, cum Anaxarchum mundos numero eſſe infinitos diſſerentem audiret, illachrymaſſe & ſuam ſortem deploraſſe traditur: cumque amici, ecquid lachrymis dignum aliquid ei obtigiſſet percontarentur: an indignum eſt (inquit) noſtram nos conditionem deflere, ſi quum infiniti mundi eſſe dicantur, vnius domini adhuc non efficiamur? Miſerum principem, qui ſatietatem gloriæ expetens, & curarum requiem, atque tranquillitatem animi deuincendis nationibus quærens: finem ambitioni ſuæ, nec tot victorijs imponere, nec tam infinita potentia,

reperire, nec certa ratione ſtatuere poſſet.

Tranquillitas queſtuoſorum.

Deindè bona pars mortalium, vt opificum, mercatorũ, fœneratorũ, quiq; in rebus contrahendis vitam atque ætatem conterunt, magnos ſibi quæſtus proponit atq; vberes, & pecunijs vndique conquirendis ac diuitijs congerendis inhiat, fructumq; laborum, ac ſedationem cupiditatum ſuarum in pecuniarum conciliatione, & opum amplificatione cõcludit. Qui ſunt huiuſmodi, ſtrenuè arripiunt peruulgatum illud medij Iani præceptum:

O ciues, ciues quærenda pecunia primũ eſt,
Virtus poſt nummos.

Alteram eiuſdem poetæ ſententiam aſpernantur, animo reſpuunt, auribus ferre non poſſunt:

Vilius argentũ eſt auro, virtutibus aurum.

Noſtro ſęculo, & præcipuè paucis ſuperi-

perioribus annis, ſupra modum inua-
luit, regnauitque auaritia, & omnium
ætatum, generum, atq; ordinum ani-
mos peruadendo, atq; occupando, al-
tiſſimas egit radices, vt niſi deus celeri-
ter ſubueniret, de medicina huic mor-
bo facienda deſperaremus, et cum O-
uidio iure quereremur:

Aurea ſũt verè nũc ſæcula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Ipſe licet venias muſis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Sed ex omnibus auaris, nulli capitali-
orem fraudem admittunt, & tam de-
teſtabili ſcelere ſe obſtringunt, quàm
qui domum domui, & agrum agro cũ
aliorum damno ac detrimento copu-
lant, & amplas ac præclaras poſſeſſio-
nes, tanquam opimas prædas, vi, rapi-
nis, cæde, dolo partas, latiſſimè conti-
nuant: quos Eſaias interrogat, num ſe Eſaias. 5.

ſolos in terra habituros exiſtiment.

Tranquillitas voluptariorum.

Poſtremò permulti non ſolum locupletes ac diuites, qui præ copijs rei familiaris poſſunt, ſed tenuiores etiam prodigi, nepotes, patrimonio naufragi, & ære alieno obruti, qui tam magnos ſumptus ſuis facultatibus tueri nequeunt, agunt in delitijs, indulgent gulæ, crapulæ, & voluptatibus, ſplendido veſtitu amicti incedunt, conuiuia & ſodalitia amant, menſamque conquiſitiſſimis epulis, comeſſationibus dediti extruunt, incendunt odores, obſcęnos & rebus, et verbis, & modis vocum, neruorum, tibiarumque cantus adhibent, choreis, tripudijs, & cuiuſq; modi ſaltationibus ſeipſos oblectant, ineptis præterea colloquutionibus, ſcurrilibus iocis, laſciuis, ridiculiſque dictis, ad hylaritatem prouocant, dies totos alea ludendo cõſumũt, & in cæteris

teris id genus mollioribus oblectamẽtis, atque etiam turpiore, et non nominanda luxuria vitam beatam atque tranquillam quærunt. Nimium apud eos, qui generosi videri volunt, & ingenuis moribus pręditi, inualuerũt: *Otia, vina, venus, venatus, balnea, lusus.* Qui si otio diffluentes ita se abijciunt atque prosternunt, & tam dociles se Epicuro discipulos prębent, vt Sardanapali more nullum finem præter voluptatem respectent: non multum à iudicio ferarum absunt, neque altiora propemodum quadrupedibus occœcati cogitant, sed in corpore, & sensuũ oblectatione toti, tanquam languidæ pecudes, ac belluæ hærent. Eorum alij locupletiores cum diuite dicũt, quem Seruator in Lucæ euangelio depingit: Anima habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, Luc. 12.

bibe, gaude: alij autem impiorum verba referũt, quæ Sapientiæ. 2. Solomon descripsit. Breuis est vita nostra, tristis, & tædij, fastidijque plena, nullum remedium excogitari potest aduersus necessarium & cruentum mortis telũ, vt illud viuorum aliquis obluctando effugiat atque deuitet, neminem agnouimus mortuorum, qui rediuiuus ab inferis ad superos emersit: sed temerè nascimur, breuî posthac futuri, ac si nunquam fuissemus. Post multos eiusdem generis sermones tandem subiungunt: venite ergò, & fruamur bonis dum adsunt, vino nos expleamus, oblinamus vnguento, & florem ætatis lætè iucundèque traducamus, nemo nostrum delitijs careat, vbique signa vestigiaque percepti gaudij relinquamus, quoniam hic est fructus, hæc sors nostra.

Plura

Plura pugnantia vitæ instituta commemorare possem, quibus & cupiditatem omnium in assequenda, atque dissensionem multorum in quærenda curarum requie demonstrarem, & errorem ferè singulorum in declinando à vera animi tranquillitate, quam assequi contendunt, patefacerem. Sed his quatuor viuendi generibus, quæ hactenus attigi, ero contentus.

Iam quis ego sum, aut quæ in me facultas, vt cum ingens mortalium multitudo, in quærendo aberret, ego meã, tanquam arbiter honorarius, sententiam ad litem dirimendam interponere, & tanquam insignis theologus, è sublimi de vero ad veram animi tranquillitatem curriculo concionari audìm. Verùm mihi non est propositum, noua atque inusitata proponere, quę nemo vnquam extulit, sed salutaria solùm

lùm monita diligenter inculcare, & religionis noſtrę prima principia, in memoriam reducere, quæ omnibus nota eſſe, & in vſu aſſiduè verſari, communíque vita exprimi debent. Ea tamen eſt ſoporifera hominum ſocordia, vt niſi quis magna vocis contentione, ſæpius inclamauerit, non expergiſcantur, nec magis quàm altè ſtertentes, à veterno receptæ prauæ conſuetudinis excitentur. Quanquam noui dominum, qui habet clauem Dauid, qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit, ſuperbioribus qui Chriſto faſces non ſubmittunt, reſiſtere: & humilioribns crucem expertis, arcanæ ſuæ volũtatis myſteria reſerare. Quocirca nemini voce pręire cupiens, quid iudicet, ſed piorum omnium iudicijs, ſicubi errauero, me humillimè ſubijciens, non dubito tamen, quin oues beatiſſimi

tissimi illius ouilis, vocem veri pastoris agnoscent, & qui sunt Christi, cum æquo tum libenti etiam animo accipient à quocunque dicatur, quicquid è sacratissimis vnici illius magistri oraculis depromitur. Non difficile esset, totam causam ad verbũ domini absq; aliarum scientiarum adminiculis decidere: at quamuis hoc sit in promptu, fieriq́ue à plurimis soleat, si tamen è prophanis scriptoribus memoriæ occurrat, quod ad vberiorem & pleniorem, suscepti negotij explanationẽ faciat, & cum sanctissimis Christi institutionibus congruat, non video cur quisquam aut exemplorum & similitudinum appositionem, aut pulchras & pręclaras philosophorũ sententias iure reprehendat, cum verbo domini aptè ancillentur, & iudicio atque ratione excussæ, non nisi suo loco com-

modè raroque interponantur. Nunc priusquam oratio mea longius prouehatur, ad diuini numinis auxilium supplex confugio, et deum oro æternũ patrem domini nostri & seruatoris Iesu Christi, quem omnium bonorum per filium suum verum largitorem agnosco, vt propter hunc nostrum μεσιτην και ἱκετην, mihi impertiat spiritũ sanctum, qui ea dicturo subijciat, ea suggerat, ea diuino afflatu inspiret, quæ & grata acceptaque deo, & reip. christianæ vtilia, salutariaque esse possint.

Primò ad quatuor illa præcipua vitæ genera, quæ voluptarij, quæstuosi, politici, & philosophi consectantur, regrediamur, quæramusque paulò consideratius, ecquid in voluptate & delitijs, an in quæstu & compendio, an in honore & gloria, an in cognitione &

scien-

ſcientia, vera animi tranquillitas reperiri poſſit, cum in his tanquam vltimis ſupremiſque ſuis finibus, ſuperiores conſiſtant & conquieſcant. Voluptatis libido, quæ ſua dulcedine facilè in animos irrepit, finem nunquam inueniet, neque vnquam certè expletur, aut ſatiatur libidinis ſitis. Xerxem ferunt cum omnia ad eius voluntatem proſpero & ſecundo fortunę flatu prius affluerent, quàm in Græcia traijceret, præmium propoſuiſſe, qui nouam voluptatem inueniſſet: ſed tam inſatiabilem fuiſſe eius cupiditatis ſitim, vt nulla vnquam voluptas, tam ingenioſè excogitari potuerit, qua contentus eſſet. Deindè corporis voluptas fluens atq; auolans, ſæpius relinquit (vt philoſophus aiebat) cauſas pœnitendi, quàm recordandi. Pœnitentia autem talis crebrò accurrens, quia cruciatum

Vera animi tranquillitas ſecernitur à voluptate.

gignit, & morſum quendam doloris efficit, tranquillitatem prorſus omnẽ excludit. Longè enim abſunt teneri & delicati, qui mollitudini indulgent, longè etiã ſudantes ructanteſq; referti epulis tanquam opimi boues, qui crapulæ atque ebrietati ſeſe dedunt, à iucundo, ſolidoque ſobriorum gaudio, quod præclaram in victu continentiã, ſummamque ſiccitatem conſequitur. Primus namque ad voluptatem aditus, etſi dulcis videri ſolet, at exitus tamen amariſſimos ſecum aduehit, & gehennæ tandem pœnam, niſi receptui cecinerimus, incurrit. Qui tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, ſed in puncto temporis (inquit vir patientiſſimus) ad infernũ deſcendunt. Fallax mundi lætitia, cui nimium confidunt voluptarij, & qua

Iob. 21.

phre-

phreneticorum more, infirmitatis ſui obliti temerè, impotenterque exultãt, meretur maledictum dei, & grauiſſima eius commendatione interdicitur. Væ vobis clamat Chriſtus, qui nũc ridetis, quiq; lugebitis & flebitis. Meminerimus ergo cum primis memorabilis illius exempli, quod ſub perſona diuitis, ſeruator admonendos homines, vt ſibi cauerent, omnibus ſpectandum & conſyderandum propoſuit. Siquidem cum is delitijs hîc frueretur, & præſentium voluptatum blanditijs delinitus atque corruptus, futuræ immortalitatis nullam rationem duceret, abiens è vita in tartarum præcipitatur, & horribilibus inferorũ tormentis excruciandus, ac perpetuis gehennæ ignibus flammiſque aſſiduè comburendus adiudicatur. Luc. 6. Luc. 16.

Adde quod ſi tremendũ illud ſupre-

mi iudicis tribunal homines minimè formidarent, ratio tamen quæ à belluis illos seiungit atque separat, à tam turpi obscænoque viuendi genere, reuocare deberet. Quid tã detestabile, tanque pestiferum, quàm voluptatibus consectandis carnem sua sponte plus satis insanientem, ad flagitia dedecoraque instigare? Siquidem cum philosophi, vt ad cursum equum, ad arandum bouem, ad indagandũ canẽ, sic hominem concludant ad duas res, intelligendum, & agendum, esse natũ: an non voluptas rationi inimica, totũ opus hominis infirmat, labefactat & subruit, naturamque excellentissimæ creaturæ, in plusquam muliebre ingenium transmutat? Nam ea si maior fuerit, impedit consilium, memoriam eneruat, debilitat ingenij acumen, aufert constantiæ robur, et firmitatem agendi

gendi tollit, non modo mentis perſtringit oculos, ſed omne prorſus animi lumen extinguit, & hominem in ſtupidiſſimum efffœminatiſſimumq; animal diuturnitate tẽporis vſq; adeò tranſformat, vt pinguis & nitidus Epicuri de grege porcus meritiſſimò appellari queat. Rectiſsimè igitur poeta vſitato illo carmine à voluptatis amore abſterret atque auocat.

Sperne voluptates nocet empta dolore voluptas.

Etenim non ſolùm mentis atque conſilij firmitas, ſed corporis quoq;, ſenſuum, & valetudinis integritas eos relinquit atque deſerit, qui otio languẽt, molliter, delicatè, luxurioſè viuunt, amant, potant, ludunt, ad ſtrepitum citharæ ſaltant, laſciua, amatoria, & lyrica carmina attentiſſimis auribus excipiunt, indeq; prurientem carnis libidi-

bidinem excitant, incendunt, et fœdiſſimis modis inflammant: qui ſcortantur, & in omne deniq; voluptatis atq; intemperantiæ genus præcipites feruntur.

Vera animi tranquillitas ſecernitur à diuitijs.

Præterea qui quæſtu & lucro capti, ſpe atque animo diuitijs incumbant, & tanquã vigilantes aucupes, prędam vt auem præuolantẽ ſedulò inſequũtur: eò longius à vera animi tranquillitate refugiunt, quò accumulatius immenſas opes coaceruant. Nam illo nihil poteſt eſſe verius, quod toties à Iuuenale citatum vulgò celebratur.

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Quemadmodum enim propter vitioſorum humorum incrementum atq; redundantiam:

Horatius lib. 2. car. od. 2.

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi

Fuge-

Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor:

Sic auari tantò vehementius & immoderatius, diuitias ſitiunt, quantò plures opes, per fas nefasque cumulauerint. Ex auaritia autem naſcitur in regibus & viris ſublimioribus expilatio direptioque ſubditorum, ſacrilega patrimonij eccleſiarum deprædatio, miniſteriorum Chriſti & verborum dei ad ſuas libidines abuſio atque inuerſio, iniuſta multorum accuſatio atque interemptio, nefaria bonorum proſcriptio, atque poſſeſsio, bellorum denique gerendorum ad deſpoliandas prouincias, ſcelerata cupido: in humilioribus verò, aut nimiorum ſũptuum ſuſtentandorum, aut opum amplificandarum, aut egeſtatis & paupertatis depellendæ ſtudio, dolus, fraus, impoſtura, perfidia, rapina, peculatus,

 furtum,

furtum, mendacium, latrocinium, cædes, periurium: postremò in omnibus vetita interdictaque in decalogo alieni ac non sui appetitio, qua incensi, ad conciliandam pecuniam ominem mouent lapidem, sacra prophanaq; violant, cœlum, terram, omnia deniique fusque deque miscent, inferunt iniurias, proximum circumueniunt, tenuiores expilant fœnore, nonnulli (quod pessimum est) Iudæ exemplo proditores fiunt euāgelij, vt rem quacunque ratione faciāt atq; adaugeant.

Virgil. 3. Æneid. *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri sacra fames?

Rectissimè igitur diuus Paulus de studio diuitiarum his verbis Timotheū admonuit: qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationē, & in laqueum, & desideria multa, inutilia atque noxia, quæ demergunt homines in exitium

1. Timoth. 6

& in-

& interitum : ſiquidem radix omnium malorum eſt pecuniæ ſtudium, quam quidem dum appetunt, aberrauerunt à fide & ſeipſos implicuerunt doloribus multis . Quapropter habentes victum & alimenta, & quibus tegatur corpus, his contenti ſimus. Nam Chriſto non temerè excidit illud verbum : diues difficulter intrabit in regnum cælorum, cum regnum hîc ſuum ferè cœleſtis patriæ obliti ſtabilire quærunt, qui immanem pecuniã & nimias opes expetunt . Cur Dauid dicit : intimum eorum domus eorum in æternum & tabernacula in progeniem, & progeniem vocauerunt nominibus ſuis : niſi quia hîc tanquam beati ædificant non commorandi diuerſorium, ſed firmum habitandi domicilium, & magnificentiſſimas ſuas ædes, cum fama nominum ſuorum ſẽ-

Math. 19.

Pſal. 48.

piternas fore cogitant, quum insana illa ædificia inanibus suis titulis exornata celeriter vetustate corruant. Nõ
Hebr.13. inquirunt futuram ciuitatem secundum apostoli prescriptionem, sed manentem hîc absq; commutatione habere cupiunt: non recordantur illarũ sententiarum, quę aures perpetuò circumsonare, & mortales conditionis suæ quotidiè commonefacere debe-
Iob 1. rent: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus etiam illo reuertar:
1. Timoth.6 et, nihil intulimus in mundum videlicet nec quicquam efferre possumus.
Luc.12. Obliuiscuntur deniq; minacis illius vocis: Stulte hac nocte animam tuam abs te repetunt, quæ verò parasti cui cedent? At eiusmodi ædificatoribus, præter horrendam illam, etiam temporariam pœnam Esaias graui comminatione denunciat. In auribus domini

mini exercituum (inquit) obteſtor, ſi non domus multæ, magnæ & pulchrę deſolatæ erunt, vt nemo inhabitet. Quod ſi euerſio talis non ſemper ſtatim conſequatur: at illud ſæpenumerò fit, vt liberis poſterisque eorum excluſis, alieniſſimi atque inimiciſſimi ſuccedentes poſſideant. Quocirca melius Crates ille Thebanus (quanquã nec illo omninò rectè) qui octo talenta, in quibus vniuerſæ eius facultates conſiſtebant, abiecit potius, quàm ſibi domeſticis curis & angoribus negotium faceſſerent, ſumptoque baculo ac pera in pauperem philoſophię portum confugit. Melius Eutrapeles qui aduerſarijs ſuis magnas opes largè effuſeque donabat, vt ſarcinam curarũ à ſe abigeret, & in hoſtes ac inimicos ſuos vna cum diuitijs tranſmiſſam relegaret. Nam carnificinam quæ ſolli-

cito partas facultates amittendi metu mentem exedit, anxia Plautini Euclionis sollicitudo palam arguit. Quo quid stultius atq; dementius? An non
Psal. 38. frustra & temerè tumultuantur, qui congerunt thesauros, & nescium cui eos congregent? Præclarum illud præceptum cur non obseruamus, & vita atq;
Psal. 61. factis exprimimus, diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Moneat nos Patriarcharum exemplum, qui eiusdem promissionis cohæredes, relicto
Heb. 11. patrio solo exierunt in regionem peregrinam, & ad finem vsque vitæ in tentorijs pastoritijs habitarunt: cumq; diuitiæ benedictione diuina affluerẽt, nequaquam illis cor affigebant, sed authorem beneficij gratè agnoscebãt, & alios prolixè atque munificè iuuabant. Rogemus ergo dominum vt inclinet animam nostram in verbum suum,

ſuum, & non in auaritiam: quod vitiũ in magiſtratibus & potentioribus nimis diu inſitum, in ipſum ſanctiſſimũ Chriſti euangelium noſtris temporibus vſque adeo erupit & redundauit, vt prædicationem ſalutis non modo blaſphemis linguis infeſtã, ſed cunctis propè omnium ætatum atq; ordinum generibus, odioſam redderet: nihil eſt quod tam magnoperè aut promulgationem euangelij, eiuſque progreſſũ impediuit, ac retardauit, aut ab eo admittendo, recipiendo, & approbando, animos hominum vehementius auertit, deterruit atque abſtraxit, aut iram dei ad verbum ſuum à nobis auferendum, grauius commouit atque exuſcitauit.

Iam ambitione & poteſtatis, dignitatis, atque amplitudinis appetentia, ingens malorum agmẽ inuehitur. Hinc exiſtit

Vera animi tranquillitas ſecernitur ab honore & gloria.

existit è cœco illo suijpsius amorè, (quæ φιλαυτία dicitur) admiratio & fiducia, propriarum virtutum, potentiæ, sapientiæ, ignoratio verò humanæ imbecillitatis atque infirmitatis: hinc sæpè emergit despectio, & vel aperta, vel fraudulenta aliorum oppressio: hinc æmulatio, obtrectatio, odiũ, vindicta, simultas, liuor, inimicitiæ, iurgia, maledicta, rixæ, aliaque innumerabilia peccata nascũtur. Rarò autem ambitiosi, qui honoris & glorię studio dicuntur (quod pręcipuè ad rem pertinet) indomitam efferuescentis ambitionis cupiditatem euincunt atque restingunt, rarò effrenato tumore cõpresso locum consistendi reperiunt, sed obliti eorum quos à tergo reliquerunt, ad altiorem dignitatis gradum, plenò sẽper cursu cõtendũt, neq; antè ab ascendẽdo desistũt, quàm in sũmo

& al-

& altissimo amplitudinis atque honorum fastigio constiterint. Hinc notum illud Lucani de Cæsare ethnicum eulogium.

Sufficerent alijs primo tot mœnia cursu
Rapta, tot oppressæ depulsis hostibus arces, Lib. 2. in fine.
Ipsa caput mundi, bellorũ maxima merces,
Roma capi facilis, sed Cæsar in omnia præceps,
Nil actum credens, cum quid supereſſet agendum:
Instat atrox &c.

In tanto impotentissimæ cupiditatis æstu, quem non dico tranquillitati & quieti, sed liberè respirandi facultati locum relictum arbitramur? Citius profectò ab edito & sublimi promontorio in mare præcipitatus se à prolabendo sustineret, quàm flagrante honoris, imperij, & gloriæ cupiditate correptus, impotentem animi feruorem

sedaret atque comprimeret. Deindè gloria multis vigilijs collecta, & partũ immensis laboribus atque diuturno spatio imperium, breuissimo temporis curriculo, & minimo vnius horæ momento amitti potest. Quapropter exIn Thyeste clamat chorus apud Senecam, & reges atque principes de incerta sua conditione, seuera obiurgatione admonet:

Vos quibus rector maris atq; terræ,
Ius dedit magnum necis atq; vitæ:
Ponite inflatos tumidosq; vultus.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo tam diuos habuit fauentes,
Crastinum vt posset sibi polliceri.
Res deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Sed ex omnibus præcipuè cadunt ambitiosi dynastæ, qui principatum appetunt & eò grauius ruunt, quò altius ascen-

ascenderunt: quod eleganter idem Tragœdus in Hippolyto describit:

Quanti casus humana rotant? Actu. 4.
Minus in paruis fortuna furit,
Leuiusq́ ferit leuiora deus.
Seruat placidos obscura quies,
Præbet somnos casa securos:
Admota æthereis culmina sedibus
Duros excipiunt notos,
Insani Boreæ minas
Imbriferumq́ Corum.

Sententiam eandem alius hoc Sapphico expressius insinuat, & inductione similium aspectui pulcherrimè repræsentat.

Sæpius ventis agitatur ingens Horat. lib. 2. car. oda. 10.
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq́ summos
Fulmina mõtes. Nam
Quicquid à nobis (ô principes) minor exti- Sen in Thyeste.
mescit,

Maior hoc nobis dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.
Siquidem.
Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipsos imperium est Iouis
Clari gyganteo triumpho
Cuncta supercilio mouentis.

Iuuat recitare, vt poetæ qui Christum ignorabant, cuncta tamen subiecerũt deo, quem à iuuando Iouem, à beneficentia optimum nominabant, cuiq; rerum humanarum curam attribuerunt, eumq; à seruis suis regibus, atq; rerumpub. gubernatoribus rationem tandem exacturum commemorarũt. Sed vt ad propositum propius accedamus, quis non multos imperatores è suis sedibus expulsos atque deturbatos, & sceptra regibus excussa atq; vi erepta accepit, qui vel paululum se in veterum monumentis euoluendis exercuit?

ercuit? Plena est historia mutationū in monarchijs orbis, seruitutum in regnis libertati natis, et subuersionum in nobilissimis ciuitatibus. Quamobrem nec si propositum honoris gradum nō obtinuit sollicita cupiditas, nec si obtinuit, mutationis anxia formido, nec si amisit, mœsta obliti recordatio, ambitiosum securum, et quietum esse sinit. At vera animi tranquillitas, quam quærimus, non pendet ex fortuna & euentu, non extrinsecus viuendi rationes suspensas habet, non ad vnam solùm vitæ conditiouem incerta spe & cœca expectatione conquiescit, nec tam facilè & celeriter excussa auolat, sed tā in tempestate & periculis, quàm in prosperitate & rebus secundis, tam in despoliato honoribus & ignominia affecto, quàm in honorato & amplitudinis præmijs ornato splendescit:

Vera animi tranquillitas cuiusmodi, & eius cōmendatio.

eundem vultum repræsentat in paupertate, quem gesit in rerum affluentia, non effertur populari laude, nec vituperio vulgi deprimitur cum reflat fortuna, non contrahit frontem, nec cum blanditur nimis diffundit animum, cruciamenta corporis, in honesta causa non reformidat, nec turpē blanditijs voluptatis corrupta approbat moderatione & totius vitæ æquabilitate efficit, vt suos ad supremum vsq; spiritum, tanquam fidissima comes, & indiuidua socia nunquam deserat.

Laus philosophię.

Postremò qui philosophiæ operam assiduè dederunt & aliquid quotidiè addiscentes, in eo studio consenuerunt, in quo hominum ingeniosissimorum totas ætates videmus esse cō-

Psal. 18.

tritas: quibus cœli vsq; adeò enarrarunt gloriam dei, & opera manuum

eius

eius annunciauit firmamentum, vt ex ordine, pulchritudine, virtuteq; rerũ conditarũ, agnoscerent mundi opificem æternamque eius potentiam, sapientiam, diuinitatem quoquo modo indè elicerent atque deprehenderent. Sapi. 12. Rom. 2. Hi ad sedationem animi & vacuitatẽ perturbationum, proprius superioribus accesserunt. In Socrate enim idem semper vultus, eademque frons fuit. Iure erat idem semper vultu tranquillus & serenus, quum (vt Cicero ait) mentis, à qua is fingitur, nulla fieret mutatio. Quid autem se effecturam profitetur philosophia, tam præclaris exornata laudibus, vt vitæ dux, magistra morum, virtutum procreatrix, expultrixque vitiorum, cultura ingenij, & medicina animi dicatur? An nõ requiem curarum, & oblectationem animorum suis cultoribus pollicetur?

An non

An nõ ſibi ſuo iure vendicat inanium ſolicitudinum detractionẽ, extinctionem cupiditatum, timoris expulſionem, & omnium animi perturbationum vel ſanationem, vel (vt minimũ dicamus) moderationem? Nec ipſa tam magnam profeſsionem foris tantùm oſtentat, ſed illius quoque auditores pulcherrimis inſtructi præceptis, & optimis imbuti perſuaſionibus, vim eius intus in animis hærentem dictis, factisque repræſentant. Quis veterum philoſophorum aut doloris faces pertimuit, aut mortis appropinquatione expalluit? Socrates vinctus in carcere philoſophari non intermiſit, & ſupremo vitæ die de immortalitate animorum copioſè diſſeruit, & cũ in manu mortiferum illud poculum teneret, tam alacri lætoque animo ab hoc mortali corpore emigrauit, vt ad con-

conuiuium lætiſsimis ſuorum amicorum, quos diu non viderat ſermonibus celebrandum proficiſci, non ad mortẽ trudi videretur. Quocirca his qui Chriſtum nondum orbi patefactum ignorarunt, nullum perindè ac philoſophorum vitæ genus tam magnoperè expetendum iudicarem, ſiue curarum depulſio, ſiue ingenua animorum oblectatio quæreretur. Quid enim eſt vel in voluptate ac delitijs, vel in opulentia & diuitijs, vel in gloria & honoribus, quod animum tam vehementer tranquillat, lætitiaq́; perfundit, quàm ſcientia, cognitioq́; philoſophiæ, quæ aurea illa viuendi præcepta peperit, & ſcriptis ad poſteritatis memoriam comprehenſa in lucem edidit.

At poſtquam Chriſtus ſplendor gloriæ, & lux illa, quæ illuminat omnem

Vera animi tranquillitas ſecernitur

à philoſophica ſcientia & ad Chriſtum trãſfertur.

hominem venientem in hunc mundũ terris illuxit & arcanam cœleſtis patris voluntatem, ac verã ſalutis & trãquillitatis animorum notitiam, gentibus nationibuſque patefecit: illius vocem audire, illi in omnibus parere atq; obtemperare, illum tanquam vnicum paſtorem atque magiſtrum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ reconditi ſequi iubemur. Philoſophi homines erant, & (vt diuus Paulus ait ψυχικοι tantũ και ψοικοι qui altius ſe a terris efferre non poterant, quàm ratio naturalis hominis ferebat. Sed Chriſtus filius dei & eſt, & fuit, & thronum maieſtatis in cœlo ex immenſa miſericordia reliquit, & è ſinu patris in terras, ad enarrandum abſtruſum ſempiternis ſeculorum ætatibus myſterium deſcendit, vt quò animalis homo naturali cœcitate præpedi-

Marc. 9.

peditus peruenire nõ potuit, eò mens illuminati, et ſpiritu Chriſti in nouam creaturam immutati, atq; regenerati aſcenderet. Hortantur autem philoſophi inprimis ad pulchram illam & glorioſam victoriam, quæ ex cupiditatibus refertur, qua nullam maiorem præclarioremue agnoſcunt. Nam qui hoſtem vicit, altero fortior fuit, qui fræno iniecto libidinem coercuit, ſeipſum ſuperauit. Externum hoſtem percuſsit qui inimicum proſtrauit: qui verò cupiditatem repreſsit, domeſticum atque inteſtinum aduerſarium deuicit. Nullum eſt malum cui non facilius reſiſtitur quàm voluptati, quia illud quicquid eſt, primo ſtatim aſpectu terret horroremq; propter ſuam aſperitatem incutit: hæc blando vultu ad ſe allicit, fauoremque, dulci motu influens in ſenſus, celerrimè cõcili-

Ariſt. lib. 2. eth. cap. 3.

at, nec ſecus quàm Sirenum cantus eos qui præteruehuntur reuocat, et ad ſuam conſuetudinem attrahit. Hannibalem quem nulla fregit bellica clades, luxuries tamen Capuæ corrupit. Quapropter qui cupiditates vincit, non tantùm cum Troianis ſenibus Helenam demittit, ſed triumphat planè de peccato & pluſquam munitiſſimum caſtellum expugnauit. Optimè igitur Plato: τὸ νικᾶν αὐτὸν πασῶν νικῶν πρώτην τε καὶ ἀρίστην, τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον. Huiuſmodi nos hortatione philoſophi ad hoc duriſsimum difficillimumq; certamen animant atq; exacuunt, & quibus poſſunt præceptis informant atq; inſtruunt: viam tamen rectam nec propè tenent, nec ritè demonſtrant, & auditoribus ſuis nec verè adſunt, nec vim diuinam cælitus infundunt, nec

1. de legibus.

nec gratiam ad victoriam reportandam præstare possunt: At Christus ab omni deuio impeditoque errorum tramite abducit, & verum atq; expeditum iter doctrina sua ostendit, nec modò iudicat, sed suppeditat quoque τὴν πανοπλίαν τοῦ θεοῦ qua armati atque vndique muniti, cunctis simul hostibus resistamus, carnis vitia edomemus, & immaculatos nosipsos à mundo conseruemus: idemque spiritu vbique verè præsens & hortatur vt pugnemus, & robur diuinitus inspirat, gratiaque adiuuat vt vincamus, & deficientes subleuat, & vincentes coronat. Deindè etsi salutares philosophiæ admonitiones libenter amplectimur, quibus in memoriam nostræ fragilitatis atq; imbecillitatis ad humanam superbiam contundendam reuocauit, & excellentes illas disputationes plu-

rimi facimus quibus animum ab interitu vindicauit, & tam accuratè asseruit. Plurimum tamen nescio quid immensum, abfuit philosophia à sensu, et gustu æternæ vitæ: quam licet nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cogitatione adumbrauit: quendam tamen eius sensum, suis deus per spiritum sanctum afflauit. De immensitate illius ineffabilis gloriæ, nemo philosophorum somniare saltẽ aut diuinare potuit, quam suis cultoribus in filio deus hæreditario iure possidendam, indè vsque à primordio rerum & ipsius mundi constitutione præparauit. Caruerunt nanque spiritu adoptionis, & promissionis sancto, quem deus inuocantibus & petentibus à se fidelibus impertit, eiusque spiritus afflatu, regenerat, viuificat, innouat, docet, regit, gubernat, sanctificat, mouet,

1. Cor. 2.

mouet, erigit, consolatur, in fide corroborat, adiuuat infirmitatem nostrã, alacres ac paratos, ad omnia pietatis officia reddit: Per quem cum fiducia clamamus abba pater, qui contestatur spiritui nostro, quod simus filij dei & cohæredes Christi, qui cum sit arrabo hæreditatis nostrę, per eum in redemptionem acquisitæ possessionis obsignamur, & mente illuminati cognoscimus, quæ sit spes ad quam vocámur, & sortem filiorum asciti, opulentam gloriam hæreditatis eius in sanctis assequimur. Quapropter cum vbique tantundem viæ sit ad Christũ, quòd ipse omnibus diebus cum suis sit vbique præsens vsqũe ad consummationem sæculi, non est opus, vt aut in monasteria & cœnobia nos sanctitatis nomine includamus aut longinquas peregrinationes tranquillitatis animo-

Ro. 8.

Ephes. 1.

animorum cauſa ſuſcipiamus aut in ſolitudines ritu priſcorum monachorum, qui erant viri ſanctiſſimi, niſi par ſæuiat Chriſtianorum perſecutio nos abſtrudamus atque abdamus: ſed in ſua quiſque vocatione ad quam eum dominus vocauit perſiſtens, ad verum mentis gaudium pertinget, & ad verã monaſticen mundi contemptricem, perueniet, ac teſtimonium bonæ conſcientiæ colliget, ſi Chriſtum vt ſe in ſcripturis ſuis patefecit induat ac comprehendat, & repudiato præpoſtero Iudæorum more, opera à deo mandata, ceremonijs humaniſque inuentis præferat, & ſi (vt vno verbo abſoluam ἀξίως τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ εὐαγγελίου viuat. Sed de Chriſto eiuſque verbo, inſtituto rectè viuendi & bonæ conſcientiæ teſtimonio, ſenſum vitæ æternę, & multiplici ſanctorum ſolatio, fuſius poſtea dicetur.

dicetur. Nunc impedimenta et obſta-
cula explicari debent, quibus à vera a- Obſtacula veræ tranquillitatis animi.
nimi tranquillitate, plæriq; tã magno-
perè retrahuntur, vt perpauci eò aſpi-
rare valeant. Primò ingens hominum
numerus, à vera in deum fiducia rece- Amor fortuitorum bonorum.
dens, pendet ex fortunæ bonis, qui-
bus ſi quando ſpolientur, concidunt
ſtatim animis & deſcruciantur. Alij
deindè nituntur præſidio potentiorũ, Fiducia in homines.
& tam diu alacri erectoque ſunt ani-
mo, quam diu ſuis adminiculis ſuſtẽ-
tentur: ſi patroni illorum deficiant,
confeſtim prȩcipites ruunt, & in acer-
biſſimos luctus incidunt. Iam & ipſi
potẽtiores ſua potentia, ſuiſq; opibus, Fiducia in potentiam & opes.
ad tempus gloriantur atque efferun-
tur: ſed ſi honoris gradu deiecti flo-
rentiſſima fortuna ſua priuentur, ſibi
ipſis cõtinuò diſplicent, & mœſti atq;
anxij reliquum vitæ ſpatium confici-

unt. Omnes hij expectatione sua destituti in miserijs iacent, & conqueri fortunam aduersam, ac lugubre illud carmen decantare solent: πλειὴ γᾶια κακῶν πλειὴ δὲ θαλασσα Semper ferè aliquid infortunij in humanam vitam incurrit quod tranquillitatem nostrā interrumpat, & labefactet, nisi quis ad omnes casus excipiendos, animum suum obfirmet, & ad perferendū quicquid acciderit, paratus meditatusque accedat. Quam communem conditionem legemque vitæ, tribus Euripides versibus scitè expressit.

Neq; tam terribilis vlla fando oratio est,
Neq; sors, neq; ira cælitum inuectū malū:
Quod non natura humana patiendo ferat.

Quocirca Plato humanam vitam aleæ similimam faciebat: cuius optimus quisque iactus aleatori est maximè expetendus, sed quomodocunque ta-

tamen ceciderit, arte corrigi oportet, quod præter votum obtigit. Nam vt apes ex thymo aridissima asperiorisq; succi herba mel suauissimum conficiunt: sic ex malis etiam & incommodis excerpere licet, quod in nostrum bonum commodumque cedat. Siquidem Zenoni Citieo naufragium, Diogeni exilium ansam philosophandi præbuit. Sed (vt ad alias difficultates quæ vitæ tranquillæ obstant pergamus) perraro inuenitur, qui sua sorte contentus, non alium se beatiorẽ existimet: cum pauper locupletis, locuples potentis, potens regis conditionẽ suæ præferat, & admiratione commotus alienam fortunam expetat. Hinc tam crebra vitę mutatio nascitur, quæ fœliciorem secum statum importatura videtur. Sed non multum profectò ab ægrotis discrepant, qui institutũ vi-

Suæ sortis despicientia, & alienæ fortunę admiratio.

tæ tam frequenter cõmutant. Nam ſicut ægrotus vxorem faſtidit, medicũ incuſat, eiq; amicus inuiſens moleſtus exiſtit, abienſq; rurſus diſplicet: ſic varia vitæ ratio atq; inſtitutio, et vaga inconſtanſq; voluntatis immutatio, rarò ad portũ tranquillũ atq; exoptatũ appellit. Quapropter quemadmodũ qui agunt & nauſeæ moleſtijs exagitantur, ex vna in aliam ſubinde naui culam tranſiliunt vt aliquam hoc pacto leuationem reperiant, quoad nihil ſeſe proficere, & actum (vt ita loquar) agere, bilemque quocunque venerint ſecum circumferre ſenſerint: eòdem pacto qui vitę genus aliud atq; aliud identidem ſuſcipiunt, curis & angoribus, ſe potius inuoluunt quàm explicant. Nam ad proxima littorum vada quaſi appellere dum cupiunt, in vaſtiorem ſæpe altitudinem, & velut

in

in profundum inuehuntur. Quid si ab horum numero non secernamus curiosos genethliacos, mathematicos atq; astrologos, qui ad fatalem legem omnia quodammodo trahunt, reuocant, & astrorum vi vitam hominum, mores atque euentus regi autumant, & in prædictione malorum alijs, suum tamen exitium non præuident? Hisque adiungamus ariolos diuinos, qui diuinando futura prænuntiant, veneficos, incantatores, magos item detestabiles, qui inferorum animas eliciunt, vel potius dæmones euocant, à quibus quicquam scisciari dominus apertè prohibet. Hi certè inconcessis artibus fidentes, verum deum deserunt, & erroribus execrabilibus acti ac mendacijs diutius delusi animo tranquillo & quieto nunquam consistunt. Sunt autem alij qui philautia incensi, omnibus

Furiosæ & inconcessæ artes.

Deu. 18.

Nimia excellentiæ & præstantiæ cupiditas.

ſtudent antecellere, & niſi tã optati euẽtus ſuis ſtudijs reſpõdeant, vt nõ ſolùm cunctis fortunæ ornamentis circumfluant, ſed eximijs etiam ingenij dotibus ſingulis præcurrant, deſpondent animum, & male ſecum actum arbitrantur. Seniorem Dyoniſium talem fuiſſe ferunt, qui maxima ſua potentia non contentus, cum indignum ſe putaret, vt Philoxino in poetica, Platoni in diſſerendi facultate cederet, illũ in latumias coniecit, hunc Æginam tranſportandũ vendidit. Serpunt neſcio quo modo, per omnium vitam labor & afflictio ſpiritus (vt Solomonis verbis vtar) neq; vllam ætatis degendæ rationem patiuntur eſſe expertem ſui. Magiſtratus & priuatos cælebes & maritos vexant, intrant cubilia regum atque imperatorum nulli ſexui parcunt, imò verò in ipſum Gynece-

um

um irrepunt, quò ſolæ mulieres penetrare ſolent. Roſa ſpinarum contextu circumplicata & gratioſus eius aſpectus moleſtis tribulis circumſeptus, quid nobis conſyderandum proponit? An non læta triſtibus, dulcia amaris, iucunda aſperis permixta admonet? Peccato primorum parẽtum comparatum eſt, vt nihil in rebus humanis perpetuam lætitiam importet, ſed hilaritati ſuccedat mœſtitia, coniugio viduitas, fæcunditati aborſus, puerorum educationi cura & ſollicitudo, vitæ ſplendori ignominia, proſperitati infortunium, delitijs ſatietas, ſanitati infirmitas. Sed vt hanc rerum varietatem relinquamus, & de bello ciuiliſque tumultu nihil dicamus, quæ violento impetu irrumpunt in vitam noſtram, eiuſque pacem diſturbant, multaque hominum millia, non vno

cladis

cladis genere, sed præcipuè tamen acie gladij perimunt, & eos etiã prętermittamus qui viribus maiora molientes, graues sibi molestias contrahunt. Quã variè quæso agitatur mens hominis, & quanta perturbationum mole non iactatur solùm, sed etiam sæpenumreò opprimitur? nec mirum. Nam caro domesticus & quasi vernaculus aduersarius instat ferox, instigat ad mala cominus adoriri nunq̃ intermittit, nec conflictũ nostrũ ad minimum temporis spatium interquiescere sinit: Mundus huiusq; princeps atq; dominus sathanas, capitales & sẽpiterni generis humani hostes, in nostrum exitium amicè coniurant. In castris agimus omne tempus ætatis, quo hic viuimus. Siquidem vita hominis super terram est perpetua militia atque colluctatio, & grauis quædam, cum tribus inimicissimis,

Perturbationum moles.

mis,

mis, infeſtiſſimisque aduerſarijs conflictatio: in quo certamine pauci vincunt, cadunt plurimi, atque oppreſſi deficiunt. Hinc illum ægritudo affligit, ſomnoque priuat, huic impendens malum terrorem incutit. Hinc ille iracundia, & ſtomacho exardeſcit, hunc aut amor ſolicitat, aut libido incendit. Hinc ridet ille profuſa hilaritate vehementius, mœret hic immodico dolore immoderatius, illum inuidentiæ faces ſtimulant, hunc ambitio improborũ fauorem captare cogit. Hinc alius denique iniuria affectus dolet, & de vlciſcendo cogitat, alius iniurię author, alienis malis gaudet, & oppreſſũ ab aſſurgendo prohibet. Sic ſecum diſſidet ipſe animus, & contrarijs, pugnantibusque ſtudijs diſcerpitur, ac penè delaniatur. Incredibilis eſt profectò ſathanæ in vera animorum pace in-

Inſidioſa Sathanæ aſtutia.

terrumpenda, nobisque oppugnandis, astutia, quem non magis oportet formidemus, quum palam, qui sit, præ se fert, & apertè nobiscum agit, quàm quũ fraudes struit, et in angelũ lucis, vt apostolus inquit, se transformat. Sæpè aperta vi nos oppugnat, quum ad externa illa flagitia, & scelera, velut ad crapulam, temulentiam, stuprum, adulterium, incestum, homicidium, venificium, impellit. Sępius imprudẽtes, atq; imparatos ex insidijs adortus, per cuniculos inuadit, negligentes, segnes, atque socordes in audiendo verbo dei, in vera pietate, in actionibus honestis, in operibus charitatis, in orãdo, in agẽdis deo gratijs, in sua quenq; functione reddit, atque interea oscitãtes, incautosque opprimit. Modò ad peccata solicitans blanditur, vt fallat, arridet, vt noceat, illicit, vt occidat, extenuat

tenuat atrocitatem peccati, & grauiſſimas numinis comminationes amouet ex animo, ſenſum iræ dei aduerſus peccatum adimit, vt omni ex parte ſecurum peccatorẽ faciat. Modò contra exaggerat peccatorum grauitatẽ, quid nobis ſit extimeſcendum, ex triſtiſſimis aliorum exemplis, ac pœnis documentum capere iubet, ſenſu iræ dei ſubitò obruens, ad deſperationem propè adigit, veniæque ſpem omnem quodammodo eripit. Hic architectus, & machinator malorum omnium, vt eſt callidus, vafer, & veterator, ita ſuo ferè quemq; ſibi gladio iugulat. Omnia iam tentandi genera, omnes artes, technas, fallacias, et deijciendi inſidias, tot annorum millibus, vſuque ipſo vetuſtatis aſſuefactus, aduerſarius tam vetus, & hoſtis tam antiquus edidicit. Quem non ſuauitate, & delectatione

poteſt vitiorum, eum capit admiratione, & elatione virtutum, vt cuius animus à cæteris maleficijs abhorruit, eius cor in rectè factis tacita ſuperbia intumeſcat. Quocirca non victor magis, quàm victus eſt extimeſcendus, cũ negotium vtrinq; faceſſat. Primò (inquit diuus Cyprianus) latenter cupit fallere, honores terrenos promittit, vt cœleſtes adimat, oſtendit falſa, vt vera ſubripiat. Quod ſi occultè circumuenire nequit, ad debellandos dei ſeruos apertè terrores, minaſq; intentat, in pace ſubdolus, in perſequutione violentus. Excubandum eſt igitur, atque omnibus viribus elaborandum, vt inimico ſæuienti, & iacula ſua ignita in omnes, quibus percuti, ac vulnerari poſſumus, dirigenti, ſolicita, et plena vigilantia repugnemus. Verùm vt prætermittam ſathanæ aſtutias, quarũ cognitio

cognitio, atque cogitatio paratiores ad resistendum redderet, & has non intempestiuè præteruectus, reliqua beatæ, iucundęque quietis impedimenta referam. Nostris temporibus quanta malorum cohors irruens labefactat in plurimis veram animi tranquillitatem, et incursus incommodorũ, quàm multos à placido mentis statu auertit, atque deturbat? Luctatur alius cum incontinentiæ morbo, & parùm proficiens, atque cum surdis litigans, frustra de durissima sibi cælibatus lege, & interdicto matrimonio conqueritur, ex quo fonte ingens illud malum profluxisse temerè dissimulant ecclesiarum proceres, quod, deo non conniuente, sed iudice, monasteria, cœnobiaque euertit, ac solo, exempli statuendi, & totius orbis commonefaciendi causa, æquauit. Alium superstitio

Grauia nostrorum temporum mala.

cogit, vt in mandatis dei prætermittẽdis, nullam in minimo hominum inuento violando conſcientiam maximã habeat, & deum velut ſæuum tyrannum potius reformidet, quàm vt amãtem patrem, & clementem defenſorẽ diligat. Hinc ſuplicij metus fingit ſacrificium, quod vita functos expiet pœna ignis, licet non ſempiterni, terribilis tamen, liberet, et à loco tormentorum, ad ſocietatem ſanctorum ſubleuet. Raptatur quoque variè multorum animus, & ancipite cogitatione diſtrahitur, quod nihil certò ad iudicium firmandum de ſummis fidei controuerſijs ſtatuere poſſunt, quæ hoc noſtro ſeculo exuſcitatę, tam ſuſpenſos, & dubios complurium animos tenuerunt, vt quò confugiant, vnde veritatem petant, quibus præſidijs innitantur, quid denique ſit optimum fa-

ctu, prorsus ignorēt. Plurimos etiam, propter peccatum inuecta multitudo hæreseon, per fanaticos spiritus illata, & vitia per hominum intemperantiā, atque licentiam importata, ab euangelio auertunt, qui, à recto sensu deducti, inter opus dei, & opus diaboli distinguere, & alterum ab altero sagaci perspicientia internoscere, atque separare nesciunt. Reperiuntur etiam nōnulli, qui tam crebra religionis mutatione offensi, ἄθεοι propemodum euadunt, & quasi deus suam causam malè tueretur, impietati habenas laxant, et à blasphemis vocibus vix, aut ne vix quidē, abstinent. Infirmos autem, qui rectè sentiunt, tam magnopere terret ingruens violenta persequutio, vt à Christo facilè desciscant, & eos vehementius metuant, qui corpus occidunt, quàm qui potestatem habent,

vt

vt corpus, & animam gehennæ adiudicet. Sed ex omnibus moleſtijs, quæ animum excruciant, mentemq; è ſuo ſtatu dimouent, nulla poteſt maior eſſe, quàm angor conſcientiæ, & triſtis peccatorũ recordatio. Illic rodit vermis, exurit ignis, inchoatur gehenna, fletus, & ſtridor dentium, quæ impijs ſupplicia reſeruari ſeruator in euãgelio pronũciat. Poſſumus locũ crebrò mutare, longinquas peregrinationes ſuſcipere, vaſta maria tranſfretare, plurimas regiones pedibus, equiſque obire, & ad remotiſſimas orbis partes deuehi, atque penetrare: ſed animum exuere, nos ipſos relinquere, abijcere conſcientiam, & mœſtam ſcelerum cogitationem depellere, nõ poſſumus. Angit enim domi conſcientiæ ſolicitudo, & foris exagitat, pernoctat nobiſcum, peregrinatur, ruſticatur, & vbicunq;

Angor conſcientiæ.

vbicunq; veſtigiũ ponimus, aut quocunque incedimus, comitem ſe, ſociamque indiuiduam præbet. Oreſtem inducũt fabulæ ardentibus furiarum tædis agitatum, atque perterritum. At plena eſt communis vita exemplorũ, vt ſua quemque fraus, ſuum facinus, ſcelus, et audacia de ſanitate, ac mente deturbet, vt ſuæ impios malæ cogitationes, conſcientieque animi terreant, & pœnæ amentia afficiant. Impijs hæ ſunt aſſiduæ, domeſticæque furiæ, flãmæ, & faces, quæ dies, noctesque, pœnas à conſceleratiſſimis repetunt. Recitatur à Plutarcho memorabilis hiſtoria de Beſſo quodam, qui patrẽ interemit, & diu, multoq; tempore delituit, quod ſuſpitio facinoris clã, nulloque conſcio commiſſi, eum inſequi non poſſet, niſi ſeipſum prius prodidiſſet. Verùm cum ad hoſpites ali-

Libro de fera in minis vindicta.

Beſſus patricida.

quando cœnatũ patricida iſte pergeret, hirundinum nidum haſta deturbauit, pulloſque deiectos pedibus obtriuit, & comminuit. Cum aſtantium turba, indignatione, vt decuit, permota, cauſam quęreret, quæ hominem ad rem tam nefariam perpetrandam, & auiculas, hominibus tam familiares, atque amicas, iugulandas impuliſſet: nonne (reſpondit) iamdiu falſum contra me teſtimonium ferunt, & patricidij ſuis clamoribus arguunt? Qui facto præſentes intererant, reſponſionis admiratione ducti, verba ad regẽ deferunt, reque diligentius explorata, iuſtas Beſſus pœnas, & diu ante commeritas, perſoluit. Formidines igitur,

Sap. 17. vt Solomon veriſſimè cenſuit, nequitia, & flagitioſa vita, ſecum perpetuò inuehunt, & conſcientiæ teſtimonio, quod quaſi mille teſtium inſtar obtinet

obtinet, conuictæ mala ſemper præſagiunt, atque expectant. Terribilia ſõnia, formidoloſa ſpectra, admiranda portenta, & graues ſollicitudines, quæ maleficiorum cauſa dei immortalis nutu impijs, & ſceleratis importari videntur, quem timorem ſcelerum conſcijs, & horrorem incutiunt? Quos laqueos innectunt, qua cruce, et carnificina animos intus afflictos, atque perturbatos conficiunt? Nero perempta matre, vt tradit Suetonius, ſceleris conſcientiam, quanquam & militum, & ſenatus, populique gratulationibus confirmaretur, nec ſtatim, nec poſtea vnquam ferre potuit, ſæpè confeſſus exagitari ſe materna ſpecie, verberibus furiarũ, ac tædis ardẽtibus. Quin, & facto per magos ſacro, euocare manes, & exorare tentauit. Apollodorũ narrant viſum in ſomnio videre, pellẽ

ſibi detrahi, membraque minutatim concidi, & filias ardore flammæ toto corpore deflagrantes in orbem ſe verſare, ac circũſilire. Hipparchus item Philaſtrati filius, paulò ante obitum, è phiala quadam ſanguinem ſibi in faciem aſpergi ſomniauit. Charta me deficeret, ſi cætera eius generis exempla commemorarem. Eſt profectò facinoroſa conſcientia in animo inſtar vlceris in corpore, quæ culpa contracta, non caſu inuecta, funeſtis mœſtæ recordationis doloribus ferit mentem vehementius, & aſſiduè excarnificat. Alexandrum regem nobilem, & fœlicem orbis prædonem, occiſo crudeliter Caliſthene, & Clyto familiari interempto, altero quòd Perſarum more eum, vt numen, adorare recuſaret, altero quòd Philippi patris res geſtas ſuis prę ferret, tam acris pœnitentia

tia ex conſcientia peccatorum poſtea inuaſit, vt ægrè à ſe manus abſtineret. Quid Syllam, qui Romanos, Antiochum qui Iudæos armis oppreſſit, nominem? Quorum vterque propter turpem vitam, quam ſanguinis effuſione, & immani crudelitate contaminauit, fœdo pediculari morbo interijt, vterque graui, & deteſtabili conſcientiæ tormento contabuit. Ad hunc numerum poſſum Herodem referre, qui Iacobum gladio occidit, Petrũ in carcerem contruſit, perſecutionem aduerſus chriſtianos, quò Iudæis gratificaretur, excitauit, ſed ad extremum ab angelo percuſſus, & à vermibus exeſus, atq; à conſcientiæ vulneribus grauiter affectus, miſerabiliter expirauit. Hîc ſilentio nequeo prorſus eos præterire, qui ludunt cum deo in rebus grauiſſimis, & maximè ſerijs, qui

voluntario motu, honorum, & commodorum ſuorum cauſa, vel oppugnant, vel deſerunt veritatem, qui reuocant aliquid contra manifeſtum dei verbum, & deteſtabilem Chriſti, vel prodiți, vel abnegati, vel abiurati ſcelere conſcientiã obſtringunt. Quemadmodum enim pax promiſſo dei cõſequitur verum Iſraelem, id eſt, conſtantes chriſtianæ confeſſores pietatis, atq; propugnatores: ſic ſeductores, impoſtores, inimicos crucis Chriſti Epicureos, qui deum habent ventrem, terreſtria curant, homines faſcinant, ne credant veritati, cui, vt Iannes, & Iambres Moſi, reſiſtunt, declinantes quoque de via gloriæ, & diuitiarum ſtudio deducit, dominus cum operarijs iniquitatis, vertit in reprobum ſenſum, & mercedẽ tanto ſcelere dignam iuſtus iudex aliquando repẽdit,

Pſal. 124.

dit, nisi seriò, atque ex animo tandem resipiscant. Nam siue propter canonicatus, prebendas, sacerdotia, decanatus, episcopatus, & quęcunq; temporaria commoda, Christum vel oppugnent, vel deserant, siue euangelij negotium, velut rem prophanam tractent, & in re tam seria, transfugarum more, quæ ad salutem animarum spectare, se perfidè cum videtur gerant, siue in sacrosanctis literis, inanem vulgi applausum ambitiosè captare, venditare ingenij acumen, & eruditionē, eloquentiamq; ostentare velint, atq; in tempore tentationum cum primis ab agnita veritate resiliant, & doctrinā, quam ante magnificè professi sunt, confestim cum magno infirmorum scandalo turpissimè, fœdissimeq; prodant. Nunquam profectò contumeliā tam grauem, qua deum cupiunt fallere,

lere, eiuſque oculos, vt dicitur, obnubere, inultè ferent, nec à ſalutifera doctrina tam impiè recedentes, atque deficiẽtes, dei viuentis manus, tremẽdamque maieſtatem, quam violarunt, impunè effugiẽt. Hoc ſenſit Latomus, hoc infœlix Spera, & exemplo oculis ſubiecit, & ſermone docuit, ſi ſcriptores vera monumentis literarũ prodi-
1. Timot. 1. derunt. Apoſtoli in primitiua eccleſia tales verbo tradiderũt ſathanæ, vt corpora eorũ affligẽdi poteſtatẽ haberet, vt cum nec carnis, dum viuerẽt, nec in poſterũ ſpiritus requiem ſe habituros viderent, permoti malis, ſalutẽ diuturna pœnitentia aſſequerentur. Nullum maius tormentum, nullus grauior cruciatus potuit excogitari, quàm pertulerunt illi, qui à Chriſto perfidè deſciuerunt, & acerbiſſimo conſcientiæ angore agitati, nec noctu, nec interdiu liberè

liberè reſpirarunt, aut tranquilla mente conſtiterunt. Verùm impedimenta, & placidæ tranquillitatis, quã omnes aucupantur, obſtacula diutius non perſequar. Quis iam, cunctis nationibus ſubactis, vniuerſo orbe potitus, non omnem dominatum deponeret, & imperiorum orbis iacturam libenter faceret, vt afflictam conſcientiam, quę animum reſpirare non ſinit, pacaret, & labes illius, atque vulnera elueret? Quæramus igitur vbi ſit, & vnde petatur ſerena illa animorum quies, quæ non ſolum anxias conſcientiæ cogitationes tranquillat, ſed turbulentas etiam perturbationes ſedat, atque comprimit, & quicquid vel corpori nocet, vel extrinſecus accidit, leue, atque tolerabile efficit.

Chriſtum eſſe veram tranquillitatem animi.

Miſſis opinionum erroribus, qui plurimos ſemper omnium ſeculorum

memoria quodammodo absorbuerunt, & a recto viuendi curriculo abduxerunt, aliud dicendi initium sumamus, & ad Christum, eiusque verbum, institutum rectè viuendi, & bonæ conscientiæ testimonium, vitam æternam, ac multiplex sanctorum solatium, de quibus fusius me deinceps dicturum promiseram) reuertamur. Scriptura dicit, & clara voce testatur, Iesum saluum facere populum suum à peccatis suis, esse agnum illum dei, qui tollit peccata mundi, esse beatum semen Abrahæ, in quo benedicendæ forent omnes gentes terræ, quodque caput serpentis, qui astutia sua primos humani generis parentes in fraudem illexit, contereret, atq; cõculcaret, esse salutem dei a mari vsque ad mare, & vsque ad terminos terræ, cui prophetæ omnes testimonium perhibeant,

quòd

quòd remissionem peccatorũ accepturus sit per nomẽ eius, quisquis spem salutis in eo collocet, esse mediatorem, interpretem, ac pacificatorem inter deum, & homines, thronum gratiæ, pontificem, & sacerdotem magnum ad interpellandum assiduè pro nobis, propitiationem pro totius mundi peccatis, iustificatorem, pastorem, & curatorem animarum nostrarum, spem, vitam, resurrectionemque nostram, esse Emanuelem, patrem vitæ perpetuæ, principem pacis, solem iustitiæ, lucem gentium, esse deniq; Messiam, in quo omnes promissiones dei sunt, etiam, & amen, quem sacrificia Leuitica, & ritus vetusti adumbrarũt. Lex Mosaica spectauit, prophetarum vaticinia prænunciarunt, patres populi Israelitici expectarunt, in quem, suo tempore exhibitum apostoli, mar-

tyres, confessores, & pij omnes crediderunt. Christus igitur, cõciliator dei, & hominum, qui ab execratione legis nos redemit, ipse pro nobis factus execratio, &, vt Paulus Colossensibus attestatur, chirographum, quod aduersus nos erat, credentibus deleuit, illudque cruci affixum è medio sustulit, qui in odorem suauem tradidit semetipse pro nobis oblationem, atque victimam deo, & per mortem aboleuit eum, qui mortis habebat imperiũ, qui patris iram non ex parte, sed integrè, & perfectè placauit, nosque peccatorum nexu, & gehennæ incendio plenè eripuit, atque liberauit, qui sathanam deuicit, principatus, ac potestates palam expoliatas ostentauit, & triumphum ex deuictis glorioſum, ac magnificum, fortissimus mortis, atq; inferorum expugnator, per semetipsum

sum egit, qui aditum patefecit ad cœlum, & in altum ascendens captiuam duxit captiuitatem, donaq́; dedit hominibus, qui ad dexteram dei patris in cœlestibus sedẽs, perpetuò pro nobis interpellat, & benignissimo patroni, aduocati, atque deprecatoris munere fungitur, qui imaginem & similitudinem dei, id est, innocentiam, iustitiam, & sanctitatem, quam in primo parente perdideramus, per spiritum suum quotidiè in nobis innouat, qui in numerum filiorum dei à cœlesti patre adoptatos, vt nominis, sic regni quoq́; sui consortes, & æternæ beatitudinis hæredes facit, ipse est vera tranquillitas animi, & conscientiæ quies, ipse secura pax mentis, & placida omnium perturbationum sedatio. Hoc viso quodam Eliæ currui Israelis, & auri- 3. Reg. 19.
gæ eius, vt Elisæi verbis vtar, ostenK.3. sum

ſum, & patefactum eſt : quum metu Iezabel in montem dei Horeb profugiſſet. Nam factum eſt verbum domini ad eum, vt egrederetur è ſpelũca, in qua pernoctabat, & ſtaret in monte coram domino. Et ecce dominus trãſiens, & ventus ingens, ac fortis, diffindens montes, confringensque petras coram domino, ſed dominus non eſt in vento. Poſt ventum illum commotio, ſed non in commotione dominus, poſt commotionem ignis neque in igne dominus, poſt ignem autem ſibilus tranquillus, & leuis, quem cum audiſſet Elias, pallio faciem operuit. Cur in ſibilo tranquillo, et leui, domino apparere placuit, niſi vt mœſtis, & afflictis animo, ac mente perturbatis, cuiuſmodi erat hic Elias, cum in deſerto ſedens ſubter iuniperum quandam mortem appeteret, ſe requiem, & pacem

cem largiturum demonſtraret, modò toto pectore quærerent dominũ, & ad eius vnius opẽ cõfugerent. Quocirca hac voce in euãgelio dominus deſperatione debilitatos, conſcientia perterrefactos, et curis oppreſſos, ad ſe clementer aduocat. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiã vos. Diſcite à me, quòd mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Etenim qui in pauore inteſtino, de conſcientia peccatorũ, eam quam commeriti ſunt pœnã ſeriò pertimeſcũt, & gehennæ, atq; inferorum metu perculſi, ac conſternati peccata ſua verè deplorant, & in hiſce animi angoribus, hoc iræ dei ſẽſu, hac æternorũ cruciatuum quaſi anguſtia quadã, ad immenſã dei propter Chriſtum miſericordiam ſuſcepto piè viuendi propoſito, ſupplices cõfugiunt, Matth. 11.

delicto-

delictorum veniam petunt, vt ſibi ignoſcatur, orant, ab his filius dei omnem lachrymam abſtergit, eos fauẽte, benignoque vultu aſpicit, & eximia ſpiritus ſui conſolatione permulcet. Siquidem illum locum Eſaiæ prophetæ: Spiritus domini ſuper me, propterea quod vnxit me, ad euangelizandũ pauperibus miſit me, vt ſanem contritos corde, vt prædicem captiuis liberationem, et cœcis viſum, vt vindicarem oppreſſos, et cõſolarer eos, qui lugent, vt darem eis ornamentum pro cinere, oleum lætitiæ pro luctu, ſtolam laudis pro ſpiritu mœſto, euangeliſta Chriſtum de ſe interpretantẽ inducit. Omnes nos eramus natura filij iræ, et, tanquam ouis perdita, errauimus, vnusquiſque in viam ſuam à recto viuendi ſtadio deflexit, et deo vitæ, bonorũque omnium fonte derelicto, miſeriam, mortem

Eſa. 61.

Luc. 4.

mortem, atq; exitium contraxit. Sed Christus ex insigni misericordia sedē maiestatis in cœlo reliquit, atque ex alto demissus venit in mundum, naturamque humanam ex virgine humilimè suscepit, vt conditionem nostram lamentabilem miseratus, peccatores saluos faceret, vt reuocaret, quod errauerat, vt quæreret, atq; seruaret, quod perierat, vt animam suam daret redemptionem pro multis, qui & vulneratus, atque immolatus est propter Esa. 53.
transgressiones, & attritus propter iniquitates nostras, quas in eum pater omnium nostrûm nomine reiecerat, 1. Cor. 1.
& suo nos liuore, ac vibice sanauit. Hic vt Pharaonem, & Ægyptios in mari rubro submersit, Israelitas verò saluos, & incolumes transportauit: ita morte sua sathanā, sempiternum humani generis hostem, prostrauit, ac

ſalutari ſanguinis, & aquę decurrentis ſacramento ablutos liberauit. Hic factus fuit nobis ſapientia à deo, iuſtitiaque, & ſanctificatio, & redemptio. Hic peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignũ pertulit, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viueremus. Sacratiſſimũ hoc noſtræ religionis fundamentum, & adorandum redemptionis myſterium, iugi commentatione, omnibus verè Chriſtianis eſt meditandum, cuius ne nos obliuio caperet, μνημόσυνον ſui, corpus ſuũ in euchariſtia ſacra, & cõuiuio myſtico Chriſtus reliquit, quod ritè ſecundum inſtitutum ſuum ea verborum perſpicuitate diſpenſari voluit, vt memoriam oblati olim ſacrificij efficaciter refricaret, & mortem redemptoris quaſi viua effigie atque euidenter repręſentaret, eamque oculis communicantium quodammodo ſubijceret,

1. Pet 2.

Memoria myſterij redemptionis noſtræ in euchariſtię perceptione præcipuè celebratur.

ret, atque demonstraret, vt totus populus ad tam grande, tremendumque mysterium, cœlesti supernorũ meditatione religiosè obstupefactus, & velut extra se raptus, nihil aliud mente agitaret, nil aliud, nisi Christum crucifixum, eo tempore consyderaret. Sacramentum hoc pacto ex instituto domini administratum, propter verborum claritatem, vi spiritus sancti animum potenter afficeret, & vehementer permoueret, Christumque præ oculis totius populi describeret, depingeret, et, vt Paulus ait ad Galatas, quasi crucifigeret. Hinc illę diui Chrysosto- Cap. 3.
mi hyperbolæ. Cogitate salutarem sãguinem quasi è diuino, & impolluto latere effluere, quo spirituali, & admirabili sanguine in cratere ad nos purificandos, inde hausta lingua rubescit, atque cruentatur, & sic appropinquã- De euch. in eucœnijs ad pop. An. hom. 60. in 26. cap. Math.

tes labijs puris accipite. Sed quamuis præcipuum myſtici conuiuij finem, vt inſtitutum meum exegit, recitaui, qui mortis domini annunciationem cõplectitur, & potiſſimùm reſpectat, ne quis tamen ſumma illa beneficia ſilentio me indignè præterijſſe inſimulet, præter communem fidei profeſſionem, per quam ab vno eodemq; ſaluatore, ſalutem animarum noſtrarum expectamus, et efficacem memoriam myſterij redemptionis noſtrę, ad quam peragendam Chriſtus corpus ſuum morti tradidit, ſanguinemq; ſuũ profudit. Agnoſco etiã in hoc euchariſtico ſacramento inſtituendo inſignẽ dei erga genus humanum charitatem, qui non ſatis habuit, vt ſolùm redimeret, & redemptionis peractę indies admoneret, ſed propria viuifica carne ſua fideles verè alit, nutrit, dum hîc

Beneficia quæ ritè diſpenſatã & dignè perceptam euchariſtiã conſequũtur.

tanquam

tanquam aduenæ, & peregrini vixerint, & quoad tempus huius incolatus peregerint, fidem indè adauget, armat ad crucem, ſpem vitę ſempiternæ confirmat, amorem in eum noſtrum accendit, fraternam charitatem fouet, vitam prorogat, atque conformat, cõſcientiam quaſi oblitus peccatorum, et rediens nobiſcũ in gratiam, tranquillat, ſpiritualem voluptatem, atque iucunditatem in animis ingenerat, cogitationem à corruptione corporum noſtrorum ſubducit, & ad immortalitatis meditationem erigit, & quod maximũ eſt, nos ſibi arctiſſimo nexu copulat, coniũgit, commiſcet, &, vt ita loquar, vnit atque incorporat, quem complexum, & quam adglutinationẽ, natura animalis hominis non deprehendit, vt caput ſit noſtrum, nos eius membra, et caro de carne, os de oſ-

sibus eius, maneatque, & viuat in nobis, & nos in ipso. Nam si mirabile sit quomodo inuicem sumus alter alterius membra, & vir, atque vxor vna caro sint, ac dicantur: quanto admirabilior est arctissima hæc inter nos, et Christum coniunctio, quæ fidelem manducationem non fictè, simulatè, phantasticè, sed verissimè, certissimeq; cõsequitur. Vnde diuinissimus vates, admiratione commotus, cecinit. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator deus. Escam dedit timentibus se. Quocirca in hanc causam aptissimè quadrat elegans illa Cyrilli similitudo. Quemadmodum (inquit) si quis liquefactæ ceræ, aliam ceram infuderit, & alteram cum altera per totum commiscuerit: sic necesse est, si quis carnem, & sanguinem domini recipit, cum ipso ita coniugatur,

Psal. 110.

Libr. 4. super Ioã. cap 17. et lib. 10. cap. 12.

vt

vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Verùm prę̨terita commemoratione beneficiorũ, quæ rite, atq; ordine administratam, & dignè perceptam à fidelibus, eucharistiam comitantur, ad id, quod agitur, et magnũ liberationis, atque redemptionis nostræ mysterium reuertamur, ex cuius meditatione fluit pax conscientię, et animi requies, quæ, vt terreat diabolus, turbet mundus, alliciat caro, tranquillissima tamen securitate semper gaudet. Illinc neque multitudo peccatorum, & grauitas præcludit aditum ad misericordiam dei, neque temporaria in peccato perseuerantia, spem omnẽ veniæ prorsus adimit. Illinc nascitur nostra erga deum charitas, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & cum eo nobis donauit omnia. Illinc exoritur al-

ta cogitatio beneficij diuini, quo nos sibi in filios adoptauit, & propter hoc beneficium assidua gratiarum actio, à cunctis fidelibus celebratur. Nihil est, rerum omnium, quod vel maximorũ delictorum conscientiam percellere, multo minus ad desperationem adigere in hac de Christo cogitatione possit. Nam si metum, & terrorem afferat violata lex, succurrit, Christum nos ab execratione legis redemisse. Si peccatum, Christum non solùm remisisse debitori decem millia talentorum, qui multum debuit, ignouisse Petro, qui grauiter deliquit, condonasse latroni, qui diu in peccato perstitit, sed suo quoque nos sanguine ab omni delicto emũdasse. Si mors, Christum esse vitam, & resurrectionem. Si ira, iudiciumq; dei, per Christum deo nos reconciliatos esse. Si gehenna,

Christum

Christum, inferis expugnatis, ianuam cœli aperuisse. Si ignis purgatorius, Christum pro delictis humani generis, satis deo fecisse, & quas nos debebamus, iustitiæ dei pœnas luisse, nec à culpa tantùm sed à pœna etiam liberasse. Alioqui, quomodo aut fide iustificati pacẽ haberent apud deum, quæ cum formidine pœnæ omninò cohærere non potest, si metu grauioris supplicij trepidarent, aut plenam sancti peccatorum omnium remissionem hîc perciperent, si debitam peccato pœnam, ab huius lucis amissione in alio seculo persoluerent. Quamobrẽ omnem remissionem peccatorum hîc fieri, & eam plenã, nec quicquam eius in aliud seculum differri, piè patres, & scripturis conuenienter censuerunt. Sic enim scribit beatus Cyprianus. Hîc vita, aut amittitur, aut tenetur, hîc

Ad Rom 5.

Tractatu. 1 & contra Demetrianũ.

ſaluti æternæ, cultu dei, et fructu fidei, prouidetur. Nec quiſquam aut peccatis retardetur, aut annis, quò minus veniat, ad conſequendam ſalutem. In iſto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla ſera eſt, patet ad indulgentiã aditus, & quærentibus atq; intelligentibus veritatẽ, facilis acceſſus eſt. Sed quãdo iſtinc exceſſũ fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ eſt, nullus ſatiſfactionis effectus. Eandem ſententiam cõplexus diuus Ambroſius, & alij religioſi ſcriptores, qui in ſacris literis exercitati, vel tractationes, vel interpretationes ediderunt. Dominus plurimis adaugeat fidem, & mentem meliorem donet, vt verè credant in filium dei, vt ſeriò, atque ex animo reſipiſcant, qui Chriſtianam religionem verbis profitentes, euangelio tamen, quod tam pio propoſito euulgatum fuit, ingratè ſpreto

De bono mortis. cap. 2.

ſpreto, atque repudiato, factis negant, qui ſanguinem teſtamenti prophanū ducunt, ac ſpiritum gratiæ contumelia afficiunt, qui venerandum hoc, de quo tam multa feci verba, myſteriū, vt palā nō rideant, tamen non quo decet timore, & tremore reuerenter excipiunt. Pauli temporibus Chriſtus Iudæis erat ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, noſtra ætate, in qua Chriſtus non minus mirabiliter renatus, quàm olim in Bethleem Iudææ editus, ſuſceptusque fuit, nec minus inuitis aduerſarijs reuixit, quàm cum clauſo ſepulchro in terræmotu reſurgeret, vereor ne ſathan, caro, & mundus, complures tā agant trāſuerſos, vt Chriſtus illis ſit inſipidus, & guſtare nequeant, quam ſuauis ſit dominus, & quam lætificè fluminis impetus ciuitatem dei exhilaret. Animalis homo de gaudio

filiorum dei ne somniare quidem potest, quo illi intus dies, noctesque psallunt, exultant, & domino deo suo gratias absque intermissione agunt. Rectè ascribimus Christo, vt animas recreet, atque reficiat, quamuis pauidæ conscientiæ grauius nonnunquam feriũtur terroribus legis, quàm permulcentur cõsolatione euangelij pacis, & nõ solùm captiuos sathanæ tyrannide eximat, vindicet, atq; libertate donet, sed ipsam etiam captiuitatẽ captiuã ducat. Rectè etiã eius beneficio acceptũ referimus, vt sit vulnerum nostrorum medicina, conscientiæ afflictæ quies, & vera animi tranquillitas. Hoc cognoscimus ex verbo dei, quod est lumẽ oculis, & lucerna pedibus, in quo sicut viuimus, sic in eo assiduè dies, noctesque ad beatitudinem assequendam, & vitam instituendam, ad animum solandum,

Solatia per cepta ex verbo dei

Psal. 119.

landum, & curis exonerandum versari debemus. Quoties in sacris literis beati predicantur assidui huius verbi auditores, & lectores, si mores suos indè corrigant, & actiones vitæ ad volũtatem dei accommodent? Beati qui audiunt verbum dei, & custodiunt illud. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Beatus vir cuius voluntas in lege domini, & in lege eius meditabitur die, ac nocte. An non iure beatus existimari debet, qui se deo seruum penitus addixit, in cuius corde absconditur lex dei sui, quando superi, & inferi ei subijciuntur, atque inseruiunt? Etenim non aliunde est, vt à tot rebus damna subinde accipiamus, quàm quòd conditoris nos voluntati, vt par est, non addici-

Luc. 11.

Psal. 119.

Psal. 1.

Deut. 28.

Leuit. 26.

mus. Deinde ſcripturam ſacram pulchrè nobis commendat apoſtolus, & ad ſtudium eius animos noſtros hijſce verbis rectiſſimè accendit, quòd omnis ſcriptura, diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionẽ, ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſtitia, vt integer ſit dei homo, & ad omne opus bonum apparatus, et quòd quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Nam qui velut in medio mari fluctuamus, et innumerabilibus, velimus, nolimus, peccatis obſtringimur, qui perpetuò ſtamus in acie, & frequenter plagas accipimus, quos varia curarum, perturbationum, mœrorum, oſtentationũ, tumorum, tum occaſio, tum neceſſitas vndequaque circumuallat, innumeraque

2. Timo. 3

Rom. 15

Chryſoſtomus concione. 3. de Lazaro.

raque ex omni parte tela circumuolitãt, nos vsq; adeò quasi in medijs vndis iactati, sic varijs curis distracti, sic tẽtationum procellis agitati, & tam sæpenumero in certamine victi, atque oppressi, semper opus habemus perpetuò, iugique scripturarum solatio, vt, quia quotidiè vulneramur, quotidiè illinc remedium, atque medicinam quæramus. Artifices per instrumenta sua, quicquid faciendum susceperunt, perficiunt: nos per apostolorum, ac prophetarum libros, omnemq; scripturam diuinitus inspiratam, animam nostram deprauatam corrigimus, & inueteratam renouamus. Illi per suam artem formam solûm rebus addunt, sed materiam vasorum transmutare, & ex argento aurum facere non possunt. Nos multò magis præstamus, atque efficimus. Nam ligneum vas com-

commutamus in aureum, cuius rei te-
2. Timoth. 2 ſtis D. Paulus, in hunc loquens modũ:
In magna domo non ſolùm ſunt vaſa
aurea. Si quis igitur expurgarit ſeipſũ
ab his omnibus, erit vas in honorem
ſanctificatũ. Qui habitant in ædibus,
vbi repoſita ſunt regalia arma, magnũ
munimentũ habent, vſq; adeò, vt neq;
latrones, neque parietum perfoſſores,
neque alius quiſpiam ſceleratorũ au-
deat eam domum aggredi. Sic vbi-
cunque fuerint libri ſpirituales, illinc
omnis expellitur vis diabolica, multa-
que inhabitantibus accedit conſolatio.
Si aliquid vetitũ admiſerimus, ipſe li-
brorum aſpectus ferit conſcientiam, et
à peccato iterando deterret. Si in ſan-
ctimonia perſtiterimus, inde euadi-
mus tutiores, firmioreſque, & tacto
euangelio componimus mentem à re-
bus mundanis abducimus, animam

di-

diuinis vacantem repurgamus. Philosophi, rhetores, ethnici scriptores, admirationis studio, occultā sapientiæ suæ, caligine quadam obscurarunt. At apostoli, prophetæ, manifesta, claraq;, velut communes orbis doctores, prodiderunt, vt ex sola lectione disci possint. Quis audiens beatos esse mites, misericordes, & cætera, præceptorem desyderat? Quod si in reconditioribus doctorem non inueneris, studium vehemens declaraueris, deus videns promptitudinem, nō despiciens vigilantiam, ac sollicitudinem tuam, quod quæris, sine dubio referabit. Memento Eunuchi. Act. 8. qui per lectionem consequutus est ductorem. Nouit propensum illius animū deus, studiūq; amplexus est, misit illi doctorem illicò. Magna aduersus peccatum munitio est scripturarum lectio. Magnum

præcipitium, profundum barathrum, scripturarũ ignoratio. Magna salutis perditio, nihil scire ex diuinis legibus. Ea res hæreses peperit, ea vitam corruptam inuexit, hæc sursum deorsum miscuit omnia. Nam fieri non potest, vt assidua, attentaq; lectio, sine fructu discedat. Pulchram hanc Chrysostomi adhortationem, qui aurei oris cognomen ex diuinitate loquendi inuenit, subsequuntur suis encomijs beatus Gregorius, & diuus Augustinus, qui aptè, concinnè, distinctè, & splendidè, diuinissimum scripturæ sermonem, iustissimis laudibus exornant. Ille (inquiunt) huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse salutarem, vel odit ægrotando medicinam. Nam ipse dicendi modus, quo vtitur sacra scriptura, habet in publico vnde paruulos nutriat, ser-

Greg. in epist. ad Leand. episcopum.

uat

uat in ſecreto, vnde mentes ſublimiũ in admirationem ſuſpendat. Quaſi quidam eſt fluuius (vt ita dixerim) planus, & altus, in quo, & agnus ambulet, & elephas natet. Quæ aperta continet, quaſi amicus familiaris ad cor loquitur indoctorum, atq; doctorum. Quæ in myſterijs occultat, nec ipſa eloquio ſuperbo erigit, quò non audeat accedere mens tardiuſcula, & inerudita, quaſi pauper ad diuitem, ſed inuitat omnes humili ſermone, quos non ſolùm manifeſta paſcat, ſed etiam ſecreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta faſtidirẽtur, eadẽ rurſus operta deſyderantur, deſyderata quodãmodò renouãtur, renouata ſuauiter intimantur. His ſalubriter, & praua corrigũtur &, parua nutriũtur, & mana oblectantur ingenia. Nouit ſiqui-

Aug. epiſt. 3 ad Voluſianum.

dem verbum dei pueritiam fidei, nouit ætatem adultam, nouit virilem, & prouectam, lacte nutrit, & solido cibo. Cæteræ res neque temporũ sunt, neq; ætatum omnium, neq; locorum. Hoc studium adolescentiam alit, & ad pietatem informat, iuuentutem lasciuientem refrenat, & cohibet, senectutem oblectans, dulci immortalitatis spe imbuit, & ad supremum vitæ diẽ læto, atque alacri animo obeundum armat, atque instruit in secundis rebus, ab insolẽtia deterret, ac reprimit, in aduersis perfugiũ, ac solatium præbet, delectat domi, foris in officio continet, reuocat in memoriam breuitatẽ vitæ, mortem omnibus horis imminentem, tribunal domini, gehennam, atque infernum, ignem nunquam extinguendum, præterea innumerabilia dei beneficia, crucem Christi, habi-

tantem

tantem in nobis ſpiritum ſanctum, angelos ad tutelam diuinitus appoſitos, & regni cœleſtis gaudium, quibus & à flagitijs ſemper auocari, & ad recte facta, atque optima quęque incitari oportet. Poſtremò non ſolùm in myſterio, ſed etiam in ſcripturarum lectione veſcimur carne domini, cruoreque eius potamur, & indè dulciſſimo vitæ æternæ guſtu, ineffabilique gaudio reficimur, atque recreamur.

Hieronimus in 3. cap. eccleſiaſtis. Orig. in numeros hom 16. in Leuitic.

Hic iam opportunè conſyderandum occurrit, quomodo his periculoſis tẽporibus tranquillari poſſit Chriſtianorum conſcientia, in quibus de ſummis Chriſtianæ religionis myſterijs quæſtiones nõ immeritò, propter eos, qui irrepſerunt, errorẽs, agitantur, & mihi ſic, huic aliud videtur, ac ſuum cuique pulchrum. Multi clamitant, conſule eccleſiam. Non poteſt errare.

Quomodo tranquillanda conſcientia in agitatis fidei controuerſijs.

Regitur enim à ſpiritu ſancto. Si animo fluctuas, audi eius vocem, iudiciũ amplectere, & ſcrupulũ omnem eximet. At ſi quis à me ingenuè, & ſyncerè exquireret, quid ſentirem, conſulerem cum primis, & rectius, atque ſapientius, cum ſcripturiſq; ſacris conuenientius facturum exiſtimarem, vt diuiniſſimi prophetæ Eſaiæ cõſilium, huiuſmodi periculoſa tempeſtate potiſſimùm ſequeretur. Intonat propheta, ad legem magis, & ad teſtimonium accedant. Quòd ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis lux matutina, ſed tenebris circumfuſi corruent, indurabuntur, atque eſurient. Sanctiſſimus vates bene meminit præcepti, quod filijs Iſrael deus obſeruandum Deuteronomij. 12. edixerat. Non facietis ſinguli, quod vobis rectum videtur, ſed quod ego præcipio tibi, hoc tantùm

tantùm facito domino, nec addas quicquam, nec detrahas. Audiamus vocem ſeruatoris, ſcrutamini ſcripturas. &c. Illæ ſunt quæ de me teſtificantur. Imitemur exemplùm eorum, qui in naſcentis eccleſiæ primordio ad Christum conuerſi, doctrinam apoſtolorũ cum ſcripturis conferebant, et veritatẽ apoſtolicæ prędicationis inde eliciebant, atque explorabant. Quod ego iam monui, id veritatis amatoribus hoc caliginoſo tempore, inter cætera præcipuè faciendũ iudicaui. Hoc & Chryſoſtomus conſuluit, & diuus Hieronymus populum in fine mundi ſua ſponte facturum ex prophetę verbis collegit, atque prænunciauit, quorum verba licet longiora, quia tamen ad hanc cauſam admodum ſpectant, adſcribam atque ſubijciam. Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem

Iohn. 5.

Act. 17.

Chryſoſtomus in cõmentarijs ſuper. 24. Math. hom 49.

ſtantem in loco ſancto, id eſt, hæreſim impiam (quæ eſt exercitus antichriſti) ſtantem in locis ſanctis eccleſiæ, in illo tẽpore, qui in Iudæa ſunt, fugiant ad mõtes, id eſt, qui ſunt in Chriſtianitate, cõferant ſe ad ſcripturas. Sicut enim verus Iudęus eſt Chriſtianus, dicente apoſtolo: Non qui in manifeſto Iudæus eſt, ſed qui in occulto: ſic vera Iudæa Chriſtianitas eſt, cuius nomen intelligitur confeſſio. Montes autem ſunt ſcripturę apoſtolorũ, & prophetarum, de quibus dictum eſt: Illuminas tu mirabiliter, à montibus æternis: & iterum de eccleſia dicit: Fundamenta eius in montibus ſanctis. Et quare iubet in hoc tempore omnes Chriſtianos conferre ſe ad ſcripturas? Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæreſis illas eccleſias, nulla probatio poteſt eſſe veræ Chriſtianitatis, neque refugium

Ro. 2.

Pſal. 6.

um poteſt eſſe Chriſtianorum aliud, volentium cognoſcere fidei veritatẽ, niſi ſcripturæ diuinæ. Quarè? Quia omnia hæc, quę ſunt propriè Chriſti in veritate, habent & hęreſes illę in ſchemate ſimiliter eccleſias, ſimiliter ipſas ſcripturas diuinas, ſimiliter epiſcopos, cęterosq; ordines clericorum, ſimiliter baptiſmum, ſimiliter euchariſtiam, & cętera omnia, deniq́ue ipſũ Chriſtum. Volens ergo quis cognoſcere quę ſit vera eccleſia Chriſti, vnde cognoſcant in tantæ confuſione ſimilitudinis, niſi tantũmodò per ſcripturas. Item olim, & per ſigna cognoſcebãtur, qui erant veri Chriſtiani, et qui falſi. Nunc autẽ ſignorũ operatio omninò leuata eſt, magis autem & apud eos inuenitur, qui falſi ſũt Chriſtiani, fieri ficta. Qui ergo vult cognoſcere, quæ ſit vera eccleſia Chriſti, vndè co-

gnoſcat, niſi duntaxat per ſcripturas. Sciens igitur dominus tantam confuſionem rerum in nouiſſimis diebus eſſe futuram, mandat, vt Chriſtiani, qui ſunt in Chriſtianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant, niſi ad ſcripturas. Alioqui ſi ad alia reſpexerint, ſcandalizabuntur, & peribunt, non intelligẽtes, quæ ſit vera eccleſia. Etenim diabolus, qui ſãctos varijs cruciatibus nõ potuit ſuperare, victus in ſua crudelitate, armauit ſe fraude, et ſub nomine Chriſti, ac prophetarum tentauit eos ſeducere, dicẽs per ſuos miniſtros: Ecce hic eſt Chriſtus, id eſt, eccleſia, & ecce illic, id eſt, eccleſia. Dant autem veritatũ falſarum prædicatores ſigna eadem, facientes in ſimulatione, quæ faciunt fideles in veritate. Nam & caſtitati ſtudent, & ieiunia celebrant, & elee-

eleemosinas faciunt, & omnem ecclesiasticũ canonẽ supplent. An non tibi videtur magna esse signa seductionis, cum videas diabolum facientem opera dei? Hactenus Chrysostomus in suis super Matthęum commentarijs. Qui si non sint Chrisostomi, sunt tamen, Erasmi iudicio, hominis eruditi, ac facundi, & in diuinis literis sic exercitati, vt eius sententia in hac parte nõ cedat Chrysostomo. Beatus autem Hieronymus scribens in tertium caput prophetæ Nahum, his verbis verissimè futurum prædixit, vt fine mũdi pastoribus dormentibus, ac somno consopitis, sacram scripturam populi sua sponte inquirerent. Væ namque (ait) his qui peruersarum doctrinarũ magistri sunt in Niniue. Et congruè ad eos dicitur: Dormitauerunt pastores tui. Dederunt enim somnum ocu-

Hieronimus.

lis ſuis,& palpebris ſuis dormitationē, & propterea à rege Aſſyriorum conſopiti, non inuenerunt locum domino, neque tabernaculum deo Iacob, nec audierunt de Ephraim, id eſt, frugifera eccleſia, nec inuenerunt eam in condenſis ſyluarū. Scit enim rex Aſſyrius, non poſſe ſe oues decipere, niſi paſtores ante conſopierit. Semper diaboli ſtudium eſt, vigilantes animas conſopire. Denique, & in paſsione domini, Apoſtolorum oculos graui ſopore premit, quos ſaluator ſuſcitans ait: Vigilate, & orate, ne intretis
Marc.14.& 13. in tentationē. Et rurſum. Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. Et quia non ceſſat ſemper conſopire vigilantes, quoſcunque ille deceperit, & quaſi ſuaui, & pernitioſo carmine Sirenum
Epheſ.5. illexerit ad dormiendum, excitat ſermo diuinus, & dicit: Surge qui dormis,

mis,& eleuare,& illuminabit te Chriſtus. In aduentu ergo Chriſti, & ſermonis dei, & doctrinæ eccleſiaſticæ, & conſūmationis Niniue, ſpecioſiſſimæ quondam meretricis, eleuabitur, & properabit populus,qui ſub magiſtris ante fuerat conſopitus, & ibit ad montes ſcripturarum,ibiq́ue inueniet montes Moſen, & Ieſum filium Naue,montes prophetas,montes noui teſtamenti apoſtolos,& euangeliſtas,& cum ad tales montes confugerit, & in huiuſmodi montium fuerit lectione verſatus,ſi non inuenerit,qui eum doceat (meſſis enim multa, operarij autem pauci) tunc, & illius ſtudium cōprobabitur, quia confugerit ad montes, & magiſtrorum deſidia coarguetur. Infert enim:Et non erat qui ſuſciperet. Quocirca cupidis, & ſtudioſis veritatis, primo loco audiendum eſt

Scripturā ſacram inquirent populi in fine mundi

verbum dei, quod audiuit Adam, audiuit Abraham, audiuerunt patres, & prophetæ, gentes deniq;, & quicunq; in vniuerso orbe credentes salutem adepti sunt, audiuerunt. Hoc quemadmodum reuelato patribus, sic expresso, & scriptis comprehenso nobis, voluntas dei innotescit, cui si non auscultamus, neque si quis ex mortuis resurrexit, crederemus. Hoc verbo conditur, & extruitur ecclesia dei, & super petram Christũ, fundamentum suũ, atq; lapidẽ pretiosũ inædificatur. Nã deme scripturam ecclesiæ, & ecclesiã sustuleris. Siquidem ecclesia neq; condidit, neque certam, & indubitatam scripturam effecit, sed spiritu sancto authore cõditam, & à Christo, eiusq; apostolis perpetua successione, in omnes ecclesias deriuata, summa olim reuerentia accepit, acceptum approbauit,

Luc. 16.

Maior authoritas verbi dei quod condidit ecclesiam quàm ecclesiæ.

uit, approbatam ad omnium seculorũ institutionem religiosè custodiuit, & in eo præcipuè vigilauit, ne quid scripturę nomine admitteretur, quod notam scripturæ certam non gereret. Imò si angelus è cœlo aliud euangelium prædicaret, anathemate eum feriret. Hæc vna, sancta, catholica, & apo- Ga. 1.
stolica ecclesia, id est, quæ à propheticis, & apostolicis scripturis regitur, atque administratur, Pauli exemplo, magno cum discrimine illa in quibus domini sui præceptionem non habet, à disertis Christi præceptionibus diuidit, atque separat, vt ea, quæ Christi sunt, inuiolata in ecclesijs esse iubeat, nec diuersum admitti sinat. Quæ verò sua sunt etiamsi salutaria, & spiritu authore in medium allata, sic tamen relinquit libera, vt nominatim testetur, nemini se in his laqueum iniectu-

iecturam, in quibus prę ceptum domini non habet. Hęc, quicquid reperit in ſacris literis, quæ legem dei, & doctrinam fidei conſummatam, atq; vndiq; perfectam continent, primo loco cohoneſtat ſine vlla hæſitatione, recipit, approbat, honorat, illicq; omnia citra delectum adorat, & à nouitatis crimine vaniſsimè ſibi impacto longiſsimè refugiens, in firmando iudicio neminem Chriſto ſapientiorem, ſanctiorẽ Apoſtolis, primitiua eccleſia antiquiorem habet. Proximo loco collocat eorũm monumenta, qui de religione Chriſti, vitæque innocentia præcipiunt, ſed ex his ſine iudicio, & cum diuinis prę ceptis diligenti collatione nihil amplectitur, vnde Auguſtinum obſequentiſsimum ſuum filium perpulit, vt talem catholicam confeſsionem ederet. Ego fateor charitati tuæ,

Aug. in epiſt. 19. ad Hierony.

ſolis

ſolis eis ſcripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honorẽq; deferre, vt nullum eorum authorem ſcribendo aliquid erraſſe, firmiſsimè credã. Ac ſi aliquid in eis offendero libris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendoſũ eſſe codicẽ, vel interpretem non aſſequutum eſſe, quod dictũ eſt, vel me minime intellexiſſe non ambigam. Alios autẽ ita lego, vt quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Quamobrem ſi ſubijcimus ſcripturam arbitrio hominum, etiam ſanctiſsimorum, ſcripturam ſuſtulimus. Eſt ſiquidem verbum non dei, ſed hominum, quod

Soli canonicorum librorum authores errare neſciunt.

hominum arbitrio administratur. Verùm hic est sacrosanctus ecclesiæ thesaurus, hæc eximia consolatio fidei, hæc celsitas, & firmitas cognitionis vitę, quòd scriptura non ab homine, nec in hominis manu, sed à deo in dei manu posita, per filium eius Iesum, dispẽsante spiritu sancto, ecclesiæ tradita, & per eam ad omnem posteritatem erudiendam, propagata, transmissáque fuit. Itaque membra ecclesiæ non arrogant sibi ius vllum in caput suum Iesum Christum, sed subdita capiti, vt mites oues nullam audiunt vocem aliam, quàm pastoris, cui fidem, cõscientiam, subiectionemque debeant, eademque pro Christi voce agnoscunt, exaudiunt, atque sequuntur, vndecunque sonuerit, quicquid verum est, quicquid recti aliquid præcipit. Iudicio namque de sana doctrina, & diuersa

Rectum iudicium quomodo paratur.

uersa cognoscũt, discrimine adhibito, vt quod sanũ, rectũ, et genuinum est, probetur iuxta illud: Omnia probate, quod bonum est tenete. Contrarium autem, & ab his alienum reijciatur, ac reprobetur. Iudicium, quo discernimus, probamus, instituimus, redarguimus, scientia suffulciat oportet. Scientiam præcipuè parit exercitatio spiritus fidei in verbo dei, vnde pugnantes in speciem locos sagaci sensu secundũ analogiam fidei piè conciliamus, præcedentia, subsequentiaque expendimus, & singulis inter se diligenter cõferendis mentem domini assequi studemus. Hinc Timotheum hortatur Paulus, vt in lectione, exhortatione, & doctrina se assiduè exerceat. Hęc (inquit) exerce, in his esto, vt tuus profectus manifestus sit in omnibus. Hinc discrimen inter spiritum veritatis, &

Exercitatio spiritus fidei in verbo dei.

1. Timot. 4

Discretio spirituum.

ſpiritum erroris deprehẽdimus, quòd ſpiritus Chriſti non niſi dei gloriam cum cura, & ſalute proximi coniunctam inueſtigat, ac quærit. Ille contra φιλαυτίᾳ, ambitione, auaritia, faſtu, vltione, tyrannyde, & rerum duntaxat priuatarum amore immodico, incenſus, atque inflammatus omnia vitiat, contaminat, adulterat, ſcripturã ſenſu ſic inuertit, atque intorquet, vt quod reipſa oppugnat, idipſum tueri, & propugnare, fuco facto, videri poſsit. Hinc reliquiæ piorũ inſtructæ, quas ſemen ſanctum iure appellamus, poſſunt & cauere ſibi, & reclamando errores conuincere, quos ante ſecundũ ſuum aduentum Chriſtus tantos, & tam denſos fore prædixit, vt dubitaret vtrũ filius hominis, veniẽs fidẽ ſuper terrã, inueniret, & electos etiam ſi fieri poſſet, ſeducendos prænunciaret. Verùm

rùm quia in hoc potiſsimùm negotio fruſtra operam conterimus, niſi deus tenebras mentis noſtræ, velut ſquamas ab oculis, ſpiritus ſui afflatu diſpulerit, naturalemq; cœcitatem eius interuentu ademerit, atque illuſtrarit, & arcanam ſuam voluntatem hac claue reſerarit, atque aperuerit, propterea prẽter lectionẽ ſcripturę ſanctæ, quam eccleſia ſolam, atque vnicam fidei ſuæ in Chriſtum baſim, & regulam habet, præter exercitationem ſpiritus fidei in verbo dei, vnde ad diſcretionem ſpirituum aſpiramus, atque pertingimus, confugiendum eſt ad preces, & auxilium numinis hoc pacto frequenter, atque ſeriò eſt implorandum. Da mihi intellectum domine, deduc me in ſemita mandatorum tuorum, inclina cor meum in teſtimonia tua, reuela oculos meos, vt intelligam mirabi-

Frequens & feruens precatio.

Pſal. 119.

lia de lege tua. Si dominus mentem ſuam nobis patefecerit, & patefactam ad alios deferre, & rudibus, atq; ignaris annunciare dederit: precandum etiam eſt cum propheta, vt proſit, non effluat, ſed radicem in illorum animis agat. Ex quo iuuandi, & perſuadendi ſtudio fluxit illa Eſaiæ precatio. Liga teſtimonium, obſigna legem in diſcipulis meis. Suſcipiendum quoque eſt ſerium ſe emendandi, atque vitam ſuam corrigendi propoſitum. Alioqui audiet irreligioſus lector, atque concionator, qui peruerſo, ac præpoſtero animo ſcripturam ſacram euoluit, cū in flagitijs nihilominus perſiſtat, quod peccatori dixit deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, et aſſumis teſtamentum meum per os tuum, quum odio habeas diſciplinam, & verba mea poſt te abijcias. &c.

Alios iuuandi ſtudium.

Eſa. cap. 9.

Serium ſe emendandi ſtudium.

Pſal. 49.

Adhiben-

Adhibendæ ſunt in tractando, & verſando dei verbo, magna ſubmiſsio, reuerentia, atque humilitas. Nam reſpicit dominus trementem ſermones ſuos, & eum, qui eſt humili, fractoque ſpiritu, benigno vultu aſpicit. Publicanus percutiens pectus, & centurio dicens, domine non ſum dignus, vt ſubeas tectum meū, per ianuam intrarunt in ouile. Phariſæus de meritis ſuis glorians, & aliundè aſcēdendo alta petens, non intrauit, ſed cecidit, quē ſic præcipitauit ſuperbia, & confidens arrogantia, vt ſuperiores euexit vera humilitas, atque ſubmiſſio. Ceruix iugo Chriſti eſt demittenda, vt diſcipuli præceptorem imitando referamus, qui, vt verus paſtor, poſuit animam pro ouibus, & ſeipſum viliſſimæ, contemptiſſimæque crucis morti ſubiecit. Humiliter, atque ſubmiſſè de ſe ſentiendo

Reuerentia aduerſus verbum dei atq; humilitas Eſa. vlt.

endo efficitur, vt viribus noſtris diffiſi, opem dei ſedulò imploremus, eiuſque gratiæ nos ipſos totos regendos, atque gubernandos dedamus, eoque pacto veram veri paſtoris vocem magis agnoſcamus, quàm aut bos cognoſcit dominum ſuum, aut aſinus præſepe heri ſui. Quocirca rectè ſanctiſſimi patres huic virtuti primas in Chriſtiana pietate dederũt. Recte eam diuus Bernardus & eleganter virginitati huiuſmodi collatione prætulit. Laudabilis virtus virginitas: ſed magis neceſſaria humilitas. Illa conſulitur: iſta præcipitur: ad illam inuitaris: ad iſtam cogeris: de illa dicitur, qui poteſt capere, capiat: de iſta dicitur, niſi quis efficiatur ſicut paruulus iſte, nequaquam ingredietur in regnũ cœlorum. Illa ergo remuneratur: iſta exigitur. Potes ſine virginitate ſaluari: ſine humilitate nõ potes.

Eſa. 1.

Super illa verba miſſus eſt ang. Gab. hom. de laude virginitatis.

Math. 18.

potes. Poteſt placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amiſſam. Sine humilitate (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuiſſet. Super quem (inquit) requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum? Super humilem dixit, non ſuper virginem. Sic ipſa Maria perhibet: Reſpexit humilitatem ancillę ſuæ, potius quàm virginitatem. Etſi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate cõcepit. Vnde conſtat? Quia etiam vt placeret virginitas, humilitas proculdubiò effecit. Non omnium quidem eſt virginitas. Multo tamen pauciorum eſt cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes niſi mirari, ſtude humilitatem imitari, & ſufficit tibi. Quod ſi & virgo, & humilis es, quiſquis es, magnus es. Hucuſque Bernardus. Charitati prętera in acquirenda

Elegans collatio inter virginitatem, & humilitatem.

Charitas.

puriore ſcripturarum notitia magnopere eſt inſeruiendum, ad quam oculos potiſsimum referri oportet, alioqui ſcientia inflat, cum charitas contra ædificat. Iubet apoſtolus, vt quæramus excellere ad ędificationem. Nam ſi habeamus ſcientiam omnem, charitatem autem non habemus, nihil ſumus. Adde quod renunciandum eſt mundo, eiuſq;, vt ita dicam, pompis, atque blandicijs, reſiſtendum ſathanæ, & illius inſidijs, atque ignitis telis. Vita inculpata. Non indulgendum gulæ, crapulæ, & voluptatibus, ſed repugnandum carnis motibus, incumbendum in vocationem, vtendum abſtinentia, viuendũ inculpatè. Hinc promiſſum illud: Si quis facit voluntatem eius, hic cognoſcet de doctrina, cuius ſit, &. Beati mũdo corde, quoniã ipſi deũ videbũt. Poſtremò vitãdæ ſunt in negotio tam

Io. 7.

Mat. 5.

ſancto

ſancto intempeſtiuæ, & prophanæ de ſummis myſterijs diſputationes, de quibus ſi quæſtio inciderit, ſequamur cõſilium Gregorij Nazianzeni, ſummi theologi, vt purgemus animum ſuis fæcibus, & irritamentis ſuis corpus exuamus, vel conemur ſaltem. Nam vt acies (inquit) lippientis oculi læditur, cum intuetur aduerſum ſolem: ſic periculoſum eſt rem puriſſimam illotis manibus tractare, ſi quis non expurgarit ſeipſum, vt ſit vas in honorem ſanctificatum, accommodũ vſibus domini, ad omne opus bonum præparatum. Deinde non omni tempore tractanda ſunt hæc myſteria, nec omni loco, nec apud quoſuis, ſed tum quando vacamus curis ſeculi, nec animus varijs mundi cogitationibus diſtrahitur, ne balſamum cum luto commiſceamus, & apud eos ſolum,

Vitatio prophanarum, & intempeſtiuarum de ſummis myſterijs diſputationum.

In. 1. lib. theolog.

2. Timoc. 2.

qui sunt studiosi, & discendi cupidi, non apud eos qui ludunt, iocantur, nugantur in rebus serijs, & in delitijs habent de huiusmodi disputare, ingenij, eruditionis, & eloquentiæ ostentandæ causa. Consyderandum autem quatenus progrediendum, & cogitandum eatenus, quoad captus ingenij sinet, non longius, quàm auditorum imbecillitas perferet. Fragor enim, vel sonitus ingens lædit auditum, copiosus cibus stomachũ, grauiora onera portitorem, continuata pluuia terram, & in omnibus nocet, atque officit nimiũ. Sic imbecilla, mediocriaque ingenia, & infirmas conscientias, citò opprimunt difficiles quæstiones. Non absterreo à lectione scripturarum (nam hoc tam necessariũ vitæ animæ, quàm spiritus vitę corporis) sed à disputatione, nec à pia, sed ab intẽpestiua, immodera-

derataq; reuoco. Non est canendum carmen domini in terra aliena, id est, non passim, nec vbi non oportet. Mel nimiũ satiat, flos hybernus est intempestiuus, vestis muliebris nõ decet virum, nec virilis mulierem, non conuenit luctui cum nuptijs, & sponsalibus, nec gaudio cum funere. Si suum sit singulis rebus decorũ, quanto magis tractationi scripturarum. Non procurrendũ, ac si essemus equuli indomiti, qui neque frænum, neq; fessorem pati possunt, non declinandum in hanc partem, ne regrediamur in Ægyptum, neque in illam, ne transferamur Babylonem. Lectio tamen amanda, & legis meditatio noctu, interdiu, mane, meridie, vesperi, à lecto, ad lectum, in itineribus, in omnibus operibus, sæpè cum viris pijs, exemplo duorum discipulorum proficiscentiũ

Emaus de Iesu in via colloquendum semper, & vbiq̃ glorificandus deus.

Mala verbo dei assignata, ab eo amãdo & tuendo deterrere non debent.

Iam mala propter peccatum inuecta, nec robur animorum infringere, nec à perseuerentia deterrere debent, quo minus in veritate agnita firmiter acquiescamus, et hanc esse cœlestem doctrinam constanter statuamus, quam filius dei docuit, apostoli, euangelistæ, & prophetæ, dictante spiritu sancto, scriptis comprehenderunt, ecclesia Christi fideliter conseruauit, dormientibus pastoribus, intermissa prædicatione, tam diu absconsam ægrè tulit, reuiuiscentem agnouit, & cupidè, atq; obuijs, vt aiunt, vlnis excepit. Non est nouum, neq; inusitatum, vt ærumna, calamitas, infortunium, tumultus excitatus, publica, priuataq̃ clades, verbo dei, & veræ religioni assignentur

tur. Populus in Ægypto idololatriæ deditus, in ſuo ad Hieremiam reſponſo, aſcribit miſeriam, & calamitatem ſuam intermiſſioni incendendi ſuffitũ machinæ cœli, & libandi ei libamina, & reuerſioni ad cultum veri dei, dei ſui. Sub Helia turbari regnum Iſrael Achab queritur. Terra non potuit ferre verba, & ſuſtinere ſermones Amos. Cauſę omnis ſeditionis erant cõciones Amos. Paulus, & eius authores ἀταξίας, terrarum orbem conturbant. Fit etiam ſæpenumero, vt verax euangelij prædicator, cum ipſa euangelij veritate, ſit πάντων περίψημα καὶ πάγχρμα τοῦ κόσμου, id eſt, reiectamentum, & execratio mundi. Olim naſcenti Chriſti religioni omnia mala vſque adeò imputabant, vt vulgare fuerit apud Romanos prouerbium. Pluuia defecit. Cauſa Chriſtiani. Ethnici ſanè

Iere. 44.

3. Reg. 18.

Amos. 7.

Acto. 17.

1. Cor. 4.

nè olim in inuidiam Christianorum communes casus transferebãt, & omnis publicæ cladis, omnis popularis incõmodi Christianos esse causam existimabant. Quam vanissimam opinionem, & Cyprianus contra Demetrianum perstrinxit, & Tertullianus hisce verbis expossuit. Si Tybris ascẽdit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si cœlum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianus ad leonẽ acclamatur. Sed & eruditi, atq; liberabilibus studijs instituti, vt Christianis ineruditorum turbas infestissimas redderent, scientiam dissimulabant, atque hoc apud vulgus affirmabant. Clades, quibus per certa interualla locorum, & temporum, genus humanum affligi oporteret, causa accidere nominis Christiani, quod contra deos suos ingenti fama, & præclarissima

Aug. lib. 2. De ciuit. dei. cap. 3.

rissima celebritate diffunderetur. Vnde impius ille Porphyrius causam pestis diu suo tẽpore grassantis, in Christi cultum conijciebat, quòd qui opem ferre possent Æsculapius, dijque cęteri negligerentur. Quamobrem nõ est mirum, si idem contingat cœlesti doctrinæ, nostris temporibus reuiuiscenti, quod olim in ipso rerum primordio nascenti accidit. Ad hæc multitudine hæreseon per vesanos, spiritus passim excitata nequaquam à recta fide abduci, neque eatenus commoueri oportet, vt verã Christi vocem, per veraces euangelij præcones vbiq; diffusam exaudire recusemus, nosque ipsos facilè, ac libẽter erroribus occœcari patiamur. Etenim mirandum nõ est, si vt solis accessũ tot insecta, & venenata animalia insequuntur, sic euãgelicam prædicationem plurima por-

Cohors hæreseon passim excitata non debet auertere a vera Christi voce exaudienda.

tentosa deliria, & exitiosa mala comitantur, quum semeni, bono quod filius hominis fecerit, inimicus homo, qui est diabolus, zizania admisceat. Apostolorum ætate, non minus nocentes hæ, quàm nostro seculo extiterunt. Ioannes euangelista, vt sentit diuus Hieronymus, rogatus ab Asiæ episcopis, nouissimus omniũ scripsit euangelium aduersus Cerinthum, à quo Cerinthiani, qui mundum ab angelis factum esse aiebant, & alios hæreticos, sed maximè aduersus exoriens Hebionitarum dogma, qui Christum ante Mariam non fuisse affirmabant, vnde diuinam eius natiuitatem edicere compulsus fuit. Idem meminit Nicolaitis, qui promiscuum fœminarum vsum approbarunt. Quantum negotium sustinuit Paulus contra eos, qui resurrectionẽ mortuorum

Cerinthus. hære.

Hebionitæ

Nicolaitæ

Apoca. 2.

2. Cor. 15.

mortuorum Corinthi negabant, & qui euangelicæ puritati legis Mosaicæ vmbras admiscentes in Iudaismum Galatas retrahebant? Quàm sollicitè præcipit Timotheo, vt prophanas vocum inanitates prætermittat, & redigit ei in memoriam Hymænei atque Phileti hæresim, qui circa veritatem aberrarunt, dicentes, Resurrectionem iam esse factã, et quorundã fidem subuerterunt. Nullis seculis defuerunt, qui & veram doctinam oppugnarẽt, & pijs doctoribus resisterent, quod ex eo liquet, quia Mosi in Ægypto Iannes, & Iambres, Heliæ in Palestina Baalitici sacerdotes, Hieremiæ, & Micheæ pseudoprophetæ, ipsi postea Christo scribæ, pharisæi, pontifices, Apostolis deniq́ue Iudęi, falsi fratres, & idolorum cultores restiterunt. Porro vt hęresium, sic quoq́ue vitæ dissolutio-

2. Timot. 2

Vita dissolutior, & contemptus religionis non fũt ascribendi cœlesti doctrin.

lutioris, & aut spretæ, atque contemptæ, aũt nõ ita, vt decuit, æstimatæ veræ religionis culpa non in cœlestem doctrinam, sed in hominum, & diaboli malitiam conferenda erat. Nam vbicunque Christus syncerè prędicari cœpit, illic sathan nõ interquiescit, sed omnes vires subtilissimi sui ingenij profundit, turbas ciet, atque commouet. Quicquid in terris sublimè est, ad regnum Christi oppugnandum, subdolis suis persuasionibus instigat, atq; excuscitat, vt si seditio vspiam existat, si plebs excusso obedientiæ iugo licentiosè viuat, si nulla sit sacrosancta legũ maiestas, si optimates opprimant tenuiores, si adolescentes non subdantur maioribus natu, si liberi non obtemperent parentibus, serui dominis, subditi regibus, si vulgus torpescat, & elãgueſcat in vero dei cultu, si maxima

pars

pars timorem numinis abijciat, hæc omnia, & si quę sunt similia, euangelio ascribi, verisque prędicatoribus assignari, faciat homines autem qui superstitiosis operibus, & à se excogitatis plus iusto tribuerunt, ijdem opera verè bona, & euangelica, vnde verum Christianū agnoscas, cuiusmodi sunt, timor dei, fiducia misericordię diuinę, inuocatio, gratiarum actio, patientia in afflictionibus, omnis generis officia erga proximum, liberalitas in pauperes. &c. quæ Christus nō culpauit, doctrina apostolica commendauit, decalogus continet, parùm pro virili coluerunt, atque exercuerunt. Non rarò fit, sed semper ferè contingit, vt superstitiosi cupidius, & magis cum æstuante desyderio dijs alienis, quàm religiosi deo vero deseruiant. Nec mirum. Vt enim caro nostra nihil boni

Superstitiosi in falso quàm religiosi in vero dei cultu ardentiore.

in se habet: ita multò studiosius, & feruentius consilia mala, sathanæ, quàm spiritus dei bona sequi solet. Hinc nihil tam durum, & sumptuosum, quod idololatræ non faciant, & ferant: cum sæpè, qui veri dei, non vani cultores sunt, plus nimio in his cessent, quæ tamen suum exigere non ignorant.

Moloc illi, quem Saturnum Latini vocarunt, liberos suos exurebant, suos hi vix paterna castigatione ad bonos mores instruunt, & ad volũtatem dei creatoris, & seruatoris sui perficiendam instituunt, atque erudiunt. Sacrificuli Baal sese lanceolis confodiebant, cum in gratiam veri dei multis statis diebus ad obsequendum prœcepto illius feriari non sustinent. Sic nostra memoria inuenire licuit, qui superstitionis gratia longè grauiora perferrent, & plura facerent quam religionis

gionis ſynceræ, quę eſt, vt diuus Iacobus ait, orphanas, & viduas in afflictionibus ſuis inuiſere, & incontaminatum ſe ſeruare ab hoc mundo. Hunc impium feruorem, & hoc prę-poſterum ſtudium, quo in ſuperſtitionem homines ſuapte natura plus ſatis exardeſcunt, atque propendent, vates paſſim per adulterinum amorem, qui iuſto ferè ardentior eſſe ſolet, deſcripſerunt. Quocirca licentia vulgi, oppreſſio pauperum, aperta numinis cō-temptio, nulla aduerſus ſuperiores reuerentia, regnum, quod quiſq; ſibi in pectore geſſit, diſſoluti noſtrorū temporum mores, ingenitę carnis prauitati, ſathanæ impulſori, mundo allicienti, & exemplis corrumpenti, pręcipuè tamen voluntariæ cuiuſque aſſenſioni, qui ſe nimis intemperanter geſsit, & fręna flagitioſæ vitę laxauit, atque ſuis libidini-

libidinibus supra modũ indulsit, nullaque disciplina se regi, & coerceri permisit, imputari debent. Nam prę-

Veri concionatores extra culpam.

conum verbi dei, eorum dico, qui hoc seriò agebant, nulla potest esse culpa, qui functione officij sui liberabunt animas suas, qui principibus, & populo verè dicere potuerunt. Cõtestamur nos hodierno die, quòd mundi sumus à sanguine omnium. Nõ enim subterfugimus, quo minus omne consilium dei vobis annunciaremus. Sit deinceps sanguis vester super caput vestrum. Etenini perpetuò hortabantur ad agendam pœnitentiam, iubebant fugere â ventura ira, & facere fructus, qui decerent pœnitentiam, & ad omnia ferè peccata, ceu quosdam animi morbos remedia cõmonstrabant. Non erant canes muti, nescientes latrare, sed intendebant vocem suam, clama-

Acto. 20.

clamabant, & auriculas teneras mordaci radere vero non intermittebant ſcelera principium denudare, & populo peccata ſua annunciare, atque aperire non formidabant, omnium animis, atque auribus aſsiduè comminationes dei inculcabant, diligenter prędicabant verbum, inſtabant, vrgebant, oportunè, importunè arguebāt, increpabant, exhortabantur, tanquam ſpeculatores vigilantiſsimi, vt omnibus incommodis occurrerent, in ſpeculis ſuis ſine intermiſſione excubabant. Sed væ vobis, quorum corda obduruerunt, animus cœleſte manna faſtidiuit, & aures ad ſalutares verorum concionatorum voces obſurduerunt. Si nō minus reus erit, qui verbum dei negligenter audierit, quàm qui corpus Chriſti in terram cadere negligentia ſua permiſerit, & nō dijudicantes cor-

Auguſt. 50. homeliarū ho. 26.

pus domini fiunt imbecilles, & inualidi, multíque eorum iudicio dei obdormiunt, quod Paulus Corinthijs
1. Cor. 11. suo tempore iustissimè obtigisse meminit, quid nos, gens scelesta, populus iniquitate onustus, semen malitiosum,
Obstinata nostrorum hominum in peccatis perseuerantia. filij perditi commeruimus, qui deseruimus dominum, ipsum sanctum Israelis irritauimus, et ab eo perfidè desciuimus. Principes erant infideles, & socij furum pupillo non iudicabant, causa viduæ, & pauperis, ad illos non ingrediebatur. A minimo vsque ad maximum, quisque munera dilexit, auaritiæ, & turpi lucro inhiabat, regnauit ambitio, & tenuiorũ expilatio, refrixit charitas, atque in pauperes munificentia. Cuique à proximo suo cauendũ fuit, fratri suo nullus tutò credebat, fides, probitas, religioque interna, exulabãt, simplex veritatis amicus,

inter

inter numerosam turbam vix vnus reperiebatur. Quemadmodum tamen Paralip. 36.
ante exitium Hierosolymitanum misit dominus deus manè surgendo nuncios suos, quoniam parcere cupiebat populo suo, & habitaculo suo, qui sic vociferando reuocare non desistebāt: Reuertimini filij vagi agnoscite iniquitatem (dicit dominus) & sanabo auersiones vestras: sic nusquam crebrius, acrius, vehementius, & confidentius, quàm ante hanc subitam rerū cōmutationem prędicatores verbi inclamando receptui cecinerunt, & à peccando deterruerunt. Verùm animos nostros suis comminationibus non flexerunt, non cogitauimus de reuersione ad deum in toto corde nostro, in ieiunio, fletu, & lamento, nō seriò resipuimus, non agnitione peccatorum dedimus gloriam deo, sed per-

fricta fronte, in peccatis duri ceruice, & incircumcisi corde, & auribus, perstitimus, non humiliauimus nos sub potente manu dei, nec sensu vitæ eius affecti, miserabilem nostram conditionem deflentes ex animo diximus: Peccauimus domine, impiè defecimus, iniustè egimus, iniquitatem admisimus, in ira domine misericordiæ recorderis, parce domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium. &c. Imò verò Iudæorum exemplum imitati, vt illi subsannabant nuncios dei, illudebāt prophetis, eorumque conciones exagitabant, donec ascenderet furor domini aduersus populū suū, nullumq; esset remediū: sic nos indignissimè risimus verbū dei, contempsimus ministros Christi, eosque insanos duximus, vaticinia eorum, verissima dei oracula, quæ euentus

Da. 9. Aba. 3. Ioel. 2.

Cur verbū dei a nobis ablatum.

uentus comprobauit, fabulas, & vaniſſima fore mendacia impiè exiſtimauimus. Iure igitur plectimur. Nã abſtulit à nobis dominus regnum ſuũ, & tradidit genti facienti fructum eius, abſtulit lucernas accenſas, & tenebras inuexit, abſtulit candelabrum, & famem verbi ſui immiſit. Nec hoc ſolùm ſupplicio cõtentus, obſtinatis, atq; impijs verbi ſui contemptoribus, & charitatem, prioraq; opera relinquentibus, maxima mala deus, vrbium depopulationes, euerſiones, exciſiones, vaſtitates, ruinas, quas amiſſiones bonorum vxorumque, filiarumque ſtuprationes ſequuntur, & miſeras in ſeruitutem à barbaris nationibus abductiones minatur, & grauiora, ſi ne ſic quidem eos pœnituerit, in die iudicij, quàm Sodomis, & Gomorris denunciat. At ſyncerí veritatis amores, cõtu-

macibus iusto dei iudicio excœcatis in tenebris videbunt lumen, in erroribus densissimis aspicient verbi lucernam, quæ viam prælata monstrabit, ne pedes sanctorum ad montes caliginosos offendant. Hi bonis operibus mortaliũ cœcitati prælucentes, voce euangelij veridica tenebras errorum discutient, & oues Christi crebro à recto tramite curriculoq; deuiantes, ad vnum illud beatum ouile verè Christianorũ, monendo, hortando, & opera tenebrarũ redarguendo reuocabunt. Ad hos opprimendos, et si fieri possit, expugnandos, diabolus minas, terroreq; turbidæ persequutionis intentat, vt prædicatio salutis illis, vel extinctis, vel mendacio assentientibus penitus conticescat. Sed violẽtis suis machinationibus parùm proficit, parùm cruenta eiús oppugnatio, ad deuincendos dei seruos,

& veritatem debellandam succedit. Nam ecclesia dei, & Christiana religio sẽper creuerũt persecutionibus, & vnde cætera extingui, atq; ad nihilum redigi solent, illinc suum incrementũ habuerũt. Quod eleganter diuus Augustinus in quadam sua ad Volusianũ epistola ostẽdit. Excitata aduersus eos (loquitur de primis religionis Christianæ tubis, atque buccinatoribus) sæua infidelitas, tolerant prędicta, sperãt promissa, docent prącepta, numero exigui per mundum disseminãtur, populos facilitate mirabili cõuertunt, inter inimicos augentur, persequutionibus crescunt, per afflictionum angustias, vsque in terrarum extrema dilatantur. Ex imperitissimis, ex abiectissimis, ex paucissimis illuminantur, nobilitantur, multiplicantur, prąclarissima ingenia, cultissima eloquia, mirabilesque

Ecclesia dei & christiana religio semper creuerunt persecutionibus.

Epist. 3.

bileſque peritias acutorum, facundorum, atq; doctorum ſubiugant Chriſto, & ad prędicandum viam pietatis, ſalutiſq; conuertunt. Alternis aduerſitatibus, & proſperitabus rerum, patientiam, & temperantiam vigilanter exercent. Mundo declinante in extrema, feſſiſque rebus ætatem vltimam proteſtante, multo fidentius, quia & hoc prædictum eſt, æternam ciuitatis cœleſtis fœlicitatem expectant. Atq; inter omnia contra eccleſiam Chriſti impiarum gentium infidelitas fremit, euincit illa patiendo, & inconcuſſam fidem inter obſiſtentiū ſæuitiam profitendo. Quocirca verè dixit, quiſquis nobilem illā ſententiam (ſanguis martyrum ſementis eſt Chriſtianæ religionis) intrepidè, atque animoſè protulit. Verum quia hactenus ſatis abundè explicatum eſt, quomodo ſe quiſque

Cypr.

in

in agitatis fidei controuerſijs ad exquirendam veritatem gerere debeat, & ordine ſingula, vt ſeſe aliud ex alio ad hoc negotium expediendum obtulerunt, tractata ſunt. Reſtat vt vniuerſo more ac modo quæramus diligentius, & ſuo loco inueſtigemus opportunius, quibus Chriſtus pacem illam ſuam eximiam largiri ſolet, quam abiens è vita apoſtolis ſe daturum, & apud eos relicturum, atque depoſiturũ promiſit. Omnes ne hac pace potientur? Omnes ne hoc tam inſigni beneficio fruentur? Vtinam Chriſtiani omnes adeò totos ſeſe Chriſto conſecrarent, & regulam ab vnico magiſtro perſcriptam tam ſtudioſè obſeruarent, vt ad ſuauiſſimum illud tranquillæ mentis gaudium aſpirare poſſent. Sed ad hãc tam ſanctã pacem aditus ingenti multitudini ſua culpa præcluditur, qui à

ſanctitate, & integritate vitę abhorrēt, & vitijs ſordidati, ſuis libidinibus inſeruiūt. Procul hinc arcentur, qui abiecto dei metu, ſibi ipſi nimium indulgent, qui iuxta ſeculum mundi huius, iuxta ſpiritum agentem in filijs contumacibus, iuxta concupiſcentias ſuas ambulant, non ſumma vi, & contentione vetus fermentum expurgare ſtudentes, ſed facientes quæ carni, ac mēti libeant, breuiter qui tota animi propenſione in ſcelera, & flagitia, ſcientes, prudenteſque contra decalogi præceta ruunt. Longè etiam abiguntur, vt ſingula peccata attingam ſeparatius, ſcortatores, adulteri, molles, fures, auari, ebrioſi, maledici, rapaces, iniuſti, impij, homicidæ, mendaces, periuri, inuidi, ſuſurrones, obtrectatores, contumelioſi, elati, glorioſi, & impuri omnes, qui pertinaciter in peccatis

1. Cor. 6. 1. 11. Ro. 1.

catis hærent, atque illud ſtrenuè conſectantur, quicquid eſt, quod ſanæ doctrinæ euangelij, gloriæ beati dei aduerſetur. Nam hi omnes non poſſunt, quin animis contremiſcant, & horrore perfuſi expaueſcant, cum deum ſibi iratum, infeſtumq; intelligant, quem iudicem ſe, & ſcelerum ſuorum vindicem, atque vltorem habituros præſentiunt. Siquidem eos omnes, qui tẽplum dei prophanant, & in vitia præcipites ruunt, perdet, & iudicabit dominus, niſi reſipuerint, & ſecũda morte mulctatos, ac in ſtagnum ſulphure, & igne ardens immiſſos, æternis ſupplicijs mactabit, quos nullis iuſtitiæ operibus adornatos, neque eloquia dei, quemadmodum oportet, meditantes, ſed aut ſuũ, atq; canũ more potius viuẽtes, & immunditiæ, gulæ, reliquiſq; vitijs ſemetipſos tradẽtes, aut propter

ſuam incredulitatem, ſuperbiam, atq; luxuriam, non adipiſcentes diuinum ſpiritum, inq; ſuis concupiſcentijs ſecundum hominem minus rationi cõuenienter ambulantes, dominus quidem mortuos vocauit, apoſtolus carnales, & animales, prophetę autem iumenta, & feras, conſuetudo verò pecudes, rationis expertes, lex deniq; ipſa immũdos. Ergo illi ſolùm à Chriſto diſcunt, & requiem animabus inueniunt, qui peccata deteſtãtur, & ſolida ad deum ſuũ fide, præcipuo cordis deſyderio conuertuntur, qui carnem cum ſuis libidinibus crucifigunt, & ſpiritu actiones eius interficiunt, vt peccatis mortui, iuſtitiæ deinceps, atq; innocentiæ viuunt, qui ſepulti vna cũ Chriſto, cum eodem reſurgunt, & in nouitate vitæ ambulare ſtudent, qui vim quodammodo ſuę ipſi naturæ afferunt,

Quibus Chriſtus ſit vera animi tranquillitas.

ferunt, vt regnum peccati à se auferũt, & dei ope freti in carne extra carnem viuere conantur, vt vetere homine exuto, nouũ quotidiè induant, & perditam in Adamo imaginem, indies magis magisque mente innouati recuperẽt. Illi solùm ad regnum illud beatum, in quo est pax, & gaudium in spiritu sancto, ascendunt, qui dei charitatem erga se intelligunt, & ex intimo pectore cum gratiarum actione amplectuntur, ac fratres infirmos, opera, consilio, re, iuuant, quantum possunt, qui nullis laboribus parcunt, vt suæ vocationi inseruiant, & susceptũ munus ad gloriam dei peragant, qui non expetunt opes, non honores ambiunt, non voluptates consectantur, sed animo erecto humana omnia, terrenaque despiciunt, & supera, atque cœlestia semper cogitant, ac aduentum domi-

ni expetendo potius diligunt quàm auerſando, & refugiendo pertimeſcũt. Tales, abnegata omni impietate, qui iuſtè, piè, ſanctè, atque ſobriè huius ſeculi curſum conficiunt, iure homines dicuntur, & mundi, & ſpirituales, & viuentes deo, quia habent ſpiritũ patris qui emundat hominem, & ſubleuat in vitam dei, quorum tranquillitatem, quid eſt, quod labefactet, cum deum tam propitium ſentiant, vt eos non ſolùm in filiorum numerum paterno fauore aſcribat, & ſpiritu ſuo copioſè, abundanter, atque (vt apoſtolus inquit) πλεονάσαι donet, qui nouos in corde motus, cumque dei voluntate conſentiẽtes, ſalutari afflatu excitet, ad amorem dei, & erga proximos charitatem inflammet, ad perpetuam laudationem dei, confeſſionem, & propagationem euangelij, ad inuocationem,

gratia-

gratiarum actionem, ad veram, & cõ-
ſtantem in deum fiduciam, ad omnia
deniq́ue pietatis officia, patientiam in
ærumnoſis, modeſtiam in rebus proſ-
peris, iuſtitiam erga proximum, dili-
gentiam in officio, manſuetudinẽ mo-
rum, pacis, & concordiæ ſtudium, ad
virtutes homine chriſtiano dignas, ad
vitę hominum, amicè eccleſiæ dei vti-
liter viuendum, ad certiſſimã, firmiſſi-
mamq́ue ſalutis ſpem in Chriſto col-
locandam impellat: verum placido e-
tiam vultu intuens, tanquam pupillã
oculi, vigilanter cuſtodiat, & ad regnũ
illud glorioſum perducat, vbi neceſſi-
tatis muneribus, & vitæ huius labori-
bus perfuncti, beatiſſimo dei ſui con-
ſpectu ſemper fœlices perfruãtur. Ad
quam fœlicitatem nemo ſe peruentu-
rum exiſtimet, qui fallaci ſanctitatis
ſpecie, & adumbrata vitæ caſtimonia,

Sanctificationem noſtri deus exigit.

oculos

oculos hominum ad tempus duntaxat perſtrinxerit, ſuamque tacitam turpitudinẽ, callida, atq; hypocritica diſſimulatione obtexerit, niſi coram deo talis intus extiterit, & verè, continenter, temperãter, ſobriè, caſtè, pudiceq; vixerit. Odit deus omnem obſcænitatem, ac libidinum fœditatem, nec ſtupra, laſciuiam, petulantiam, & contaminationem modo corporũ, ſed illicitas quoque animorum flammas prohibet, exigit pudicitiam, & caſtitatem, & quibus hæc animi, corporiſque puritas conſeruatur, temperantiam, & ſobrietatem. Nam vt dominus deus noſter ſanctus eſt, ſic hæc eſt voluntas
1. Theſſ. 4. eius ſanctificatio noſtra, ſine qua ne-
Heb. 12. mo deum videbit. Corpore igitur, & ſpiritu ſanctificari debemus, vt ſeruiamus ei in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus vitæ noſtræ.

Quod

Quod si quis internæ concupiscentiæ morbo frequenter exagitatus, sed tamen propter sanctificationis præceptum de continentia solicitus, à me exquireret, quomodo conscientiam, se intus mordentem, atq; reprehendentem tranquillaret, suaderem cum primis, vt conaretur actiones carnis interficere, & vagos libidinum motus non concessis modo, sed laude etiam dignis remedijs extinguere, quæ sancti viri religiosè excogitarunt, proposuerunt, atq; præscripserũt. Nam remedia sunt illicita, quæ destruũt naturam, interitũ accelerant, & pestem, atq; perniciem corporibus breui spatio accersunt, & rei sunt cædis, atque effusi sanguinis, qui contra dei verbum huiusmodi nõ remedijs, sed naturæ venenis, non carnem solùm, sed totum hominem occidunt, interimunt, atque interficiunt.

Quomodo conscientia exagitata interno concupiscentiæ morbo tranquillari debet.

Quocirca primò intenta verbi meditatione, fide, & precatione, pugnet cõtra ardorem libidinis, eumq; hoc pręclaro; & salutari remedio, quoad possit, restinguat, atq; refrigeret. Nã qui amat assiduam sacrorum voluminum, & diligentem lectionem, vbi deum pij iram scortatoribus adulteris, & simili flagitio cõtaminatis minitantem, vbi benignissimis contra promissis, ad pœnitentiam blandè inuitãtem, mœstos consolantem, afflictos erigentem, vacillantes confirmantem, à desperatione reuocantem audiunt, magnum sibi is ad carnis vitia cohibenda præsidium comparauit. Similiter qui sacris concionibus intersunt, quas verbi salutiferi præcones habent, & vocem euangelij per fidelem mysteriorum dei dispensatorem, ac veracem ecclesię ministrum sonantem, læti auidis auribus

bus excîpiunt, nec aliter eam, quàm ant Chriſti præſentis, aut editam è cœlo dei ipſius vocem, in pectus, animumque demittunt, in eaque penitus toto pectore, ac libentiſſimè acquieſcunt, pręclarè ſe aduerſus peccatum muniunt. Idem efficiunt & priuata piorum inter ſe de vitiorum remedijs colloquia, dum verſatur inter eos ſermo Chriſti opulenter, cum omni ſapientia, & dum ſe mutuò docent, atque commouefaciunt, quorum conſuetudinem ſi amemus, & cum illis ſi cõferamus ſermones, cõgrediamur, atq; familiariter verſemur, ad reſiſtendum peccato armis ſpiritualibus, pulchrè nos inſtruũt. Sed ante omnia, ſine cũctatione, & cum fiducia, confugiendũ eſt ad opem, auxiliumq; cœleſtis patris, qui & orare præcepit, & orandi formam docuit, & iniecta neceſſitate,

ad implorandum, atque expectandū ſuum præſidium perpulit, & promiſſione animauit, & tempore ſuo, atque modo meliore, quàm nos petimus, exaudit. Præclara eſt igitur illa ſancti viri ſententia. Frates nolite dubitare de oratione veſtra, ſed ſcitote quando verbum per os erumpit, tunc oratio veſtra ſcripta eſt in oculis dei, & aut fiet quod petitur, aut expedit non fieri. Quamobrem deum inuocare, & deſyderia noſtra ei feruidè, atq; ardenter exponere oportet, cum malorum noſtrorum ſenſu tangimur. Siquidem quanto periculum, et neceſſitas maior eſt, tanto ad orandum debet animus eſſe excitatior, & promptior. Nam languent eorum orationes, qui nullo proprio incōmodo affecti, in magna ſecuritate viuunt. Nec propter noſtrā indignitatem conuenit, vt ab oratione

Bernardus.

deſiſta-

deſiſtamus, ſed cogitare magis decet, deum gaudere hoc nomine, quòd ei Dauid tam crebrò tribuit, vt eum auditorem precum verè agnoſcamus. Quod ſi poſtulato noſtro non omni ex parte conceſſerit, dum non defatigati in orando pernoctamus, iter tamẽ commonſtrabit, quo vocauerit, quod & oportet ingredi, ſi priore via non ſuccedat, & tutò abſq; illius offenſione experiri licebit, ſi ad illud deus votũ noſtrum denegãdo attraxerit. Iam declinandæ ſunt rectorum ſtudiorum peſtes, voluptatum illecebræ, blandæ adulationes, inhoneſti luſus, profuſi ſumptus, intempeſtiua conuiuia, intemperatæ perpotationes, obſcæna ſpectacula, amatoria carmina, laſciua tripudia, praua ſodalitia. Sed præcipuè cauendum, horum, & plurimorum prẹterea malorum cauſa, otium, quo

carni nihil est suauius, quæ inertia, sopore, desidia, ignauia, cessatione, socordia, torpore, nimium delectatur. Iuuat enim nihil agere, & ab omni cura, negotioque vacare.

Sed meminerit homo pius, libidines obscænas, luxu, atq; otio potissimùm nutriri, illinc facem ministrari, & lampadi oleum instillari, atque suppeditari, vt non immeritò ingeniosus poeta dixerit.

Ouid de remed. amoris.

Quæritur Aegistus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Nam qui aliquo semper labore, & negotio destricti, nunquam opere vacant, rarò lasciuis amoribus locum relinquunt. Quapropter par est, vt pijs studijs, atque honestis occupationibus carnis petulantiæ assiduè occurramus, & crebris ieiunijs, atque inedijs, sed moderatis impetum eius refræne-

mus,

mus,& perpetua ſobrietate,ac temperantia vitam laſciuientem comprimamus,atq; edomemus. Quicquid ſuggerit,ſubijcitque diabolus,enixè etiam opera danda,cõfeſtim vt excutiamus, non vltro indulgeamus,neque diutius inſiſtamus,atque immoremur. Sed ad dei auxilium eueſtigio confugientes, preces coram eo effundamus,& cogitationes malas cogitatione alia meliore,ceu clauum clauo,extrudamus. Recordemur ſcripturæ myſticæ dicta, atque exempla, quæ omnem turpitudinem prohibent,& iram, atque ſupplicium contaminatis denũciant. Pudeat in cõſpectu dei, cuncta cernentis, admittere,cuius ſi conſcij forent conſerui noſtri, puderet. Sucurrat animo quid profeſſi ſumus in baptiſmo,quàm inclytum victorem, belli ducem, atq; imperatorem habeamus, quæ parta

victoria

victoria expectãda ſunt prę̃mia, quàm magna, atque ampla, velut perennis in cœlo triumphus, vita, pax, ſalus æterna, beatiſsima, atque omnibus cumulata bonis immortalitas. Frequẽter in mentem veniat breuitatis, & incertitudinis huius vitæ, mortis omnibus penè momentis expectandæ, ſupremi, & terrore metuendi iudicij, gehennæ, atq; inferorum, ignis nunquam extinguendi, quorũ aſſidua recordatione illicitæ libidinũ faces extingui, & flagitia æterno ſupplicio luenda arceri debent. Quod ſi hiſce rationibus nihil promouemus, ſi intentam verbi meditationem, perpetuam cum probis, deiq́ue amantibus viris conſuetudinem, aſſiduas ad deum preces, nihil magnoperè prodeſſe intelligimus, ſi fuga otij, & hoc ſubſequentium incõmodorum vitatione, ſi ſerijs ſtudiorũ labo-

laboribus, honeſtis negotijs, pijs exercitijs, atque occupationibus, ſi crebris inedijs, ieiunijs, vigilijs, ſi ſobrietate vitę, & temperantia, ſi promiſſionū, & comminationum diuinarum, & aut perennis gaudij, ſi vincimus, aut æterni ſupplicij, ſi ſuperamur, cogitatione nihil aſſequimur, nihil agimus, nihil proficimus: ſupereſt extrema anchora, ad quam ſic vocati, abſq; vllo conſcientiæ ſcrupulo confugiamus, honeſtum, & legitimū à deoq; conceſſum his, qui cōtinere nequeunt, matrimonium, vnum omnium ſalutare maximè ac diuinitus paratum ad hæc mala remedium, iuxta illud: Vnuſquiſque habeat ſuam vxorem, propter ſtuprū vitandum: & melius eſt matrimoniū contrahere, quam vri: quod ſpiritus ſanctus hoc inſigni eulogio cohoneſtat: Honorabile inter omnes coniu- 1. Cor. 7. Vlt. Hebr.

gium,& cubile impollutũ. Quapropter, qui hoc pacto diuinæ potius vocationi obtemperat, quàm hominum interdicto auſcultat, et nequaquã ſe peccare exiſtimet: imò magis fucum hominibus faciendo, ſanctitatem ſimulando, Deum vocantem ſpernendo, illicitas flammas nutriendo,& obſcœnis cogitationibus conſcientiam polluendo peccat. Multi noſtrorum tẽporum religioſi ſcriptores, ſpurciſſimã Eccleſiaſticorum vitam, propter quã totus ordo male audiuit deflentes, non iniuria conqueſti ſunt de lege cælibatus, quæ ſyncero illorum iudicio, multa animarum agmina traxit in deſperationem, in æternam iram Dej, in æternas blaſphemias. Cogitemus igitur, et mentibus, atq; animis hoc, quod veriſsimum eſt, penitus mandemus, mala pollutaq; conſcientia non poſſe

inuocari

inuocari deum, vt ex illo. 1. Ioan. 3. liquet. Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus erga deum, et quicquid petierimus, accipimus ab eo. Triſtiſſimum autem eſt ſic viuere, vt deum nec inuocare, nec eius gubernationem, & defenſionem ſperare auſis. Tales, ſine deo viuentes, & à vita dei alienos diabolus vehementius indies excœcat, & varijs flagitijs implicat. Nam apoſtolus nominatim teſtatur, libidinum pœnas eſſe cœcitatẽ, quibus excœcati fiunt amentes. Non vident, nec audiunt recta conſilia, ſed pœnas, & exitia ſibi accerſunt. Si Ioſeph inquinaſſet ſe adulterio, multa dei dona amiſiſſet, & deſertus à deo, in plura peccata incidiſſet. Quod Dauidi accidit, qui ſtuprationi Bethſabeæ mariti Vriæ, optimi viri, cędẽ, & multiplicia ſcandala addidit. Nam regu- Eph. 4

lam hanc, fornicatores, & adulteros iudicabit deus, veriſſimã conuincunt
Hebr. vlt. hiſtoriæ omnium temporum, & clades, tetrarum libidinum ſemper co-
Gen 6 mites. Ad orbem propter vagas libidines eluuione perdendum, cataractas cœli dominus aperuit. Quinque vr-
Gen. 19. bes ſceleratiſſimo libidinum genere æſtuantes, atque impudentiſſimè inſanientes, igne, & ſulphure exuſſit. Si-
Gen. 34. chemitas propter Dinę raptum per filios Iacob vniuerſos occidit. Cananæos inceſtis libidinibus contaminatos deleuit, præter ſuſpenſos principes, de
Leui. 5. filijs Iſrael. 24. hominum millia, propter ſtuprum interfectione ſuſtulit. To-
Num. 25 tam tribum Beniamin, ob vitiatã Leuitæ coniugem, ad interuecionẽ pro-
Iud. 30. pe redegit. Solomonem libidine turpioris voluptatis captum, & amicarũ illecebris faſcinatũ, exempla idololatriæ

triæ admittere permiſit. Hieroſolyma deniq; inter cętera, propter hoc pręcipuè peccatũ, in manus regis Chaldeorũ tradidit. Ad eandem regulã referri poſſunt, commemorata ſæpenumerò ab Ethnicis ſcriptoribus, vrbium, regnorumq; excidia, & præter rerump. mutationes, ignominioſa clarorum virorum exitia. Raptus Helenæ euertit Troiam, & Thebis inceſtus Oedipi, malorum cauſa extitit. Romæ reges eiecti ob ſtupratam Lucretiam, & propter Appij Decemuiri ſcelus, iterũ mutata reſpub. Rectè ergo Ariſtot. 5. Politicorum, multis exemplis in medium allatis, in cauſis mutationis regnorum libidines numerat. Athenis Piſiſtrati filij propter contumeliam puellæ factam expulſi, & dux Laconicus Pauſanias, propter ſimilem Bizantij iniuriam, ab Ephoris fame mo-

ri coactus, licet Persicum ante exercitũ, victor deleuerat. Quocirca memores calamitatũ, quæ pollutis nõ temere accidunt, sed pœnæ sunt quibus deus iram suam aduersus hoc peccatũ orbi declarat, siue cœlebem vitã agimus, siue matrimonium contraximus, quando ipsa vocat res, in hac tanta carnis, & diaboli oppugnatione, meminerimus quomodo imperatori Christo nomen dedimus, in huius verba iurauimus, huic nos per omnem vitam militaturos promisimus, & sic fortiter ad conflictum aggrediamur, veniat in mentem neminem coronandum, nisi qui vicerit, nec victurum nisi certauerit, nec certaturum, nisi hostes adsint, qui ad pugnam lacessant. Quorum prouocatio quid aliud tandem est, nisi seges, & materia gloriæ sempiternæ, si tentationi non succumbamus, sed assumpto

ſumpto ſcuto fidei, quo omnia iacula mali illius ignita extinguimus, arrepto gladio ſpiritus, vniuerſam armaturã dei induamus, & magno animo, atque heroico prælium ineamus, & per dominum, perque potentiam roboris illius aduerſus inſultus diaboli ſtare cõſtãter perſeueremus. Enitamur ergo, vt cordibus fide purificatis, ſanctè incolatus noſtri tempus tranſigamus, & ad eorum numerũ aggregemur, quos diuus Petrus appellat genus electum, 1. Petr. 2. regale ſacerdotium, gentem ſanctam, vt virtutes illius lætanti animo prędicemus, qui è poteſtate tenebrarũ nos eripuit, & in admirabilem ſuam lucẽ vocauit, vt idoneos ad participationẽ ſortis ſanctorum in lumine efficeret. Præbeamus corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, acceptam deo, & ne accommodemus nos ad figuram Rom. 12. ſeculi

seculi huius, sed transformemur per renouationē mentis nostræ, vt probemus, quę sit voluntas dei. Seiungamur ab his, qui aut mundo addicti, aut ventris famuli, aut libidinū serui, tanquam sordidissima mancipia, iugum cum incredulis ducunt, & turpiter, ac flagitiosè viuentes, ad omnem inquinatissimum sermonem adhinniunt, & illorum causa seruire, atque adulari non recusant, quorum illos esse dominos, et imperium, vt in seruos exercere cōueniret. Discamus à Christo domino, cuius doctrina nihil aliud docet, quàm pœnitentiam, solidam, viuamq; in Iesu seruatore fidem, mortificationem carnis, obnegationem suijpsius, contemptum mundi, despectionem rerū omnium, quæ in hac carne, mundoq; deo displicent, sanctificationē nostrā, & per eundem Christum σωτῆρα vitā

æter-

æternam, quàm vt hîc fide, atque ſpe apprehendimus, ſic in beata illa reſurrectione, & corporum noſtrorum redemptione, quam expectamus, plenè eadẽ, glorioſè, perfecteq; fruemur. Vniuerſũ vitæ curſum ita cõficiamus, vt finẽ præcepti charitatem ex puro corde, conſcientia bona, et fide non ſimulata, ad ſupremum vſq; ſpiritũ teneamus, & ante omnia ſpiritus vanitatem per vinculum pacis, inuicem ſeruare ſtudeamus, vt diſſidijs, quoad fieri poſſit ſublatis, atque extinctis, idem in Ieſu Chriſto omnes loquamur, idem ſẽtiamus, in quo ſolo pia conſpiratione, atque animorum conſenſione coaleſcimus, & iniurias voluntaria obliuione cõterentes, etiam inimicos noſtros ex mandato domini diligamus, & incolumitati illorum, atque animarum ſaluti pro viribus conſulamus. Hinc 1. Timo. 1

efflorescet gaudium in spiritu sancto, & tranquilla conscientia mentem lætificabit. Hinc, si quando pio quodam elati studio constanter in oratione perseueremus, tam dulcis, tamque iucunda erit familiaris cum deo, & solitaria colloquutio, vt nostri propemodum obliti, & corporis cura neglecta, neque somnum capiamus, neque cibum appetamus, nec iam versari cũ hominibus in terris, sed quasi immortalitatẽ adepti, angelicis quodammodo choris nobis interesse videamur. Hinc tanta securitas emerget, vt diem domini impijs terribilem, ac formidabilem, nobis lætum, faustum, prosperũ, ac fœlicem iudicemus, & ad eius appropinquationem, quòd plena nostra redemptio instet, suspiciamus, ac capita extollamus. Ab his enim qui testimonium bonæ conscientiæ habẽt, & spi-

Luc. 21

& ſpiritu promiſsionis ſancto obſignati, ſplendidum, atque amænum iubar ſolis iuſtitię, non toruo, ſed ſereno vultu aſpiciunt, & lucentes radios verbi dei per feneſtram cordis, cupidè, ac gaudente animo intromittunt, iucundiſſimus vitæ æternæ ſenſus, quem in hac luce percipiunt, mœrorem omnẽ abſtergit, & inaniſſimarum huius ſeculi inanitatum deſpicientiam ingenerans, ſuauiſſimam illis lætitiam, cum ingenti tamen mortalitatem exuendi deſyderio coniunctam, inuehit. Nam vita ęterna, vt in futura immortalitate plenè conſummatur, ſic in preſente ætate ſaltem inchoatur. Sed quomodo ad exoptatam illam notitiam peruenìri poteſt, vt intelligamus, qualis ſit ſempiterna vita, quę mentem in deum inenarrabili, atque incredibili voluptate rapit, et cuiuſmodi illius in ſanctis

De ſempiterna vita hic inchoata.

guſtus, qui filios dei ad cœleſtia ſuſpirare cogit, priuſquam mortale corporis tabernaculum deponant. Adſcribam verba diui Auguſtini, quæ hoc ipſũ, quod quærimus, mirificè explanant. ¶Si cui (inquit) ſileat tumultus carnis, ſileant phantaſiæ, terræ, & aquarum, & aeris, ſileant, & poli, et ipſa ſibi anima ſileat, & tranſeat ſe, non ſe cogitando, ſileant ſomnia, & imaginariæ reuelationes, omnis lingua, & omne ſignũ, & quicquid tranſeundo fit, ſi cui ſileat omnino, quoniam ſi quis audiat, dicunt hæc omnia, non ipſa nos fecimus, ſed fecit nos, qui manet in æternum: his dictis ſi iam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum, qui fecit ea, & loquatur ipſe ſolus, non per ea, ſed per ſeipſum, vt audiamus verbum eius, nõ per linguam carnis, neq; per vocem angeli, neque per ſonitum nubis,

Auguſt. de ſenſu vitæ æternę, lib. confeſſ. 9 cap. 10.

nubis, neq; per ænigma ſimilitudinis, ſed ipſum quem in his amamus, ipſum ſine his audiamus, ſicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus ęternam ſapientiam, ſuper omnia manentem. Si continuetur hoc, & ſubtrahantur aliæ viſiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat, & abſorbeat, & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum, vt talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentū intelligētiæ, cui ſuſpirauimus: Nonne hoc eſt intra in gaudium domini tui? Quocirca idem Auguſtinus vltimo confeſſionum libro, talem precationē adiungit. Domine deus pacem da nobis. Omnia enim præſtiſti nobis, pacē quietis, pacem ſabbathi, pacē ſine veſpera. Omnis enim iſte ordo pulcherrimus rerum, valde bonarum, modis ſuis peractis tranſiturus eſt, & mane

Lib. cōfeſſ. 13. cap. 35 & .35.

in eis factum est vespera. Dies autem septimus, siue vespera est, nec habet occasum, quia sanctificasti eum ad permansionem sempiternam, vt id, quod tu post opera tua bona valdè, quamuis ea quietus feceris, requieuisti septimo die, hoc proloquatur nobis vox libri tui, quòd & nos post opera nostra ideo bona valdè, quia tu nobis ea donasti, sabbatho vitę æternę in te etiã requiescamus. Ad hoc immensum gaudium, quod sanctissimus vir, & futuræ immortalitatis cupidissimus, in suis scriptis pulcherrimè depinxit, ad hũc perpetuũ sabbathismũ, qui requiem votis omnibus exoptãdam secũ importabit, ad beatissimum illud gaudiorum regnum, in quo iustitia, & pax inhabitat, ad cœlestem patriam, angelicum contubernium, dulcissimam olim in æterna vita cum sanctis omnibus consuetudinem,

tudinem, quorum ſola cogitatione, & memoria, incredibilem animo percipimus voluptatem, & tacitum pertẽtant gaudia pectus, omnes filij dei cũ ſuſpirijs ocyus peruolare cupiunt, & tenuem, atque exiguum vitæ ſempiternę guſtum, quẽ carnis tumultus hîc interrumpere, & ſathanæ tentationes labefactare, atque eripere conantur, plenè perfici, & conſummari æſtuante deſyderio expetũt. Corpus enim fragile, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrenum domicilium plenã curarum mentem deprimit. Hinc illa diui Pauli, qui corpore ſe à deo quaſi exulem peregrinari moleſtè tulit, exclamatio. Miſer ego homo quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio. Item cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Nam ingenitam vitioſitatẽ, quaſi radicem omnium peccatorum, ſtirpi-

Cur ſancti terrenum corporis domiciliũ relinquere & exuere tam vehementer expetunt. Sap. 9.

Rom. 7.

Philip. 1.

tus

tus nemo se extracturum, aut vniuersam, quamdiu viueret, sublaturũ sperauit, donec carne in puluerem redacta, sola mors demum huic tanto malo subueniret. Hinc solicita creaturæ expectatio expectat, vt palam fiant filij dei, & nos ipsi, qui primitias spiritus habemus, in nobis ipsis gemimus, superindui desyderantes, et adoptionem expectãtes, redemptionẽ corporis nostri, vt creatura vanitati subiecta, liberetur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filorum dei. Illic enim in resurrectione iustorum, & futura regeneratione, dolus, luctus, mœror, ægritudo, tentatio, & afflictio, & occasio peccati, imò & peccatum ipsum cessabit. Illic immortalitas mortalitatem, incorruptio corruptionẽ, & perenne gaudium mœstissimas huius ærumnosissimæ vitæ calamitates absorbebit:

Rom. 8.

2. Co. 5.

Beatitudo sanctorum in futura immortalitate.

bit. Illic venient ad amabilem ſocietatem piorum, atque electorum, quotquot omnium ætatum inde vſque ab vltima origine mundi, ordinati ſunt ad vitam æternam, & patriarchis, prophetis, apoſtolis, martyribus, virginibus, confeſſoribus, ac ſanctis dei angelis admiſti perpetuum canent Halleluia, & regi ſeculorum honorem lætiſſimis vocibus deferent. Illic inebriabuntur ab vbertate domus dei, & de torrente delitiarum eius ſatiabuntur. Illic abſorpta in victoriam morte, vultum gloriæ retecta facie contuebuntur, in quem angeli proſpicere gaudent. Qui hîc in lachrymis ſeminauerũt, illic deniq; in exultatione metent. Nõ eſurient, neq; ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol, nec vllus æſtus, quoniam agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad viuos

Pſal. 35.

Apoc. 7.

fontes aquarũ, & absterſurus eſt deus omnẽ lachrymã ab oculis eorũ. Nã vt hîc deſyderatur, ſuſpiratur, oratur, gemitur: ſic illic capitur, gaudetur, laudatur, exultatur. Certatur hîc, & aſſiduũ cum infeſtiſſimis, atq; in exitiũ noſtrũ coniuratis aduerſarijs bellum geritur: victori illic qui certamen bonum decertauit, curſum conſummauit, fidem ſeruauit, corona iuſtitiæ à domino, iuſto iudice, defertur, pleniſſimus omnis gaudij triumphus decernitur, & temporarij labores, ampliſſima domus dei mercede penſantur. Quis ergo non cum propheta exclamet? Quam amabilia tabernacula tua domine virtutum? Deficit, & tabeſcit animus meus, deſyderio domus tuæ. Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Intuebuntur illic inſatiabilem pulchritudinem, cuius

Pſal. 83.

cuius ſempiterno incenſi amore, nunquam à laudatione ceſſabunt. Cœleſtia hęc, atq; immortalia aſſidue dies, nocteſq; cogitantẽ, & in iugi contemplatione ſuperarũ rerum omni mente, cogitatione, cura defixum, & ad beatã patriam, vbi participes ſunt ſancti vitæ ſẽpiternę, atq; incõmutabilis veritatis, maximis votis, atq; ſuſpirijs anhelantem, ac de terrenis curis indies aliquid ſedulò deonerantem, quando deficiet placida illa animorum requies. Recto igitur gradu ad verã animi tranquillitatem, meo quidem iudicio, incedit, qui ſuper Chriſtum petram fundatus, & ei ſolida fide innixus, ac plena diuinę erga ſe volũtatis perſuaſione imbutus, teſtimoniũ bonæ conſcientię in curriculo vitę, piè, iuſtè, et ſobriè cõficiendo colligit, & volũtate, ſententia, inuocatione, confeſſione, ad eccleſiam

Vera animi tranquillitas eſt ſolida in Chriſtũ fiducia, teſtimonium bonæ conſcientiæ, & viua ſpes vitæ ſempiternæ.

verè Christianam quæ præsidem habet dei filium, protectores angelos, sanctificatorem spiritum, socios omnium ætatum pios, atque electos, se vsq; adeò adiũgit, vt sit membrum populi dei, ac mystici corporis, cuius caput est Christus, & spem viuam vitæ æternæ, non solùm ad supremũ vsq; spiritũ firmam retinet, sed à virtute in virtutem progrediendo indies etiam adauget. Nam expectatio filiorum dei, qui ad palmã supernę suæ vocationis, tanquã ad præfixum signum, recto passu, et incitato studio contendunt, firmissimis æternæ electionis, pretiosæ redemptionis, & diuinæ promissionis nixa fundamentis, falli non potest. Sicut enim deus charitate sua nos sibi in filios adoptauit, quam in cordibus nostris per spiritum diffundit, vt admirabilis quędam amoris magnitudo, huius notitia

titia aduersus clementissimum numen excitata in animis nostris exardescat, & misso dilecto filio nostram redemptionem peregit, de firma promissione vitæ sempiternæ hæreditatem adiudicauit: sic potentia sua cœptum in nobis salutis opus perficiet, si non vacillemus, sed fide firmi constiterimus. Inuocemus ergo dominũ, vt donũ fidei nostris animis instillet, & ipsam fidem in nobis inchoatam quotidiè adaugeat, vt petendo, quærendo, pulsando, accipiamus, inueniamus, & aperiatur nobis. Iustificatio nanque fidei, è qua vera animi pax nascitur, & per quam accessus nobis cum fiducia ad thronũ maiestatis conceditur, cuiusque opis præsidio in gratiam hanc perducimur, in qua stamus, & gloriamur sub spe gloriæ dei, est velut medius quidam transitus, D. Bernardi testimonio ab

Iustificatio fidei.

Sermones in dedicatione ecclesiæ.

Heb. 12.

De vera animi tranquillitate in afflitionibus.

ęterna prędestinatione, ad futuram, vt appellat, magnificationem per quem ascendimus ad ciuitatem dei viuentis, Hierusalem cœlestem, ad innumerabilium angelorum cœtum, ad concionem primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis ad spiritus iustorum, perfectorũ, ad iudicẽ vniuersorum deum, ad noui testamẽti conciliatorẽ Iesum, vbi beati æuo sempiterno fruamur.

Cum scriptura omnis clamet, hęc esset vera, & certa persuasione credenda, ac pœnam interitum æternum incredulis denunciet. Cur frangimur animis si calamitas adrepserit, cur contrahimus frontem, & ingemiscimus, si vel leuis afflictio inuaserit? Pulcherrimæ persuasiones cur non tam altè radices agunt, vt afflictiones præsentis temporis, ex collatione facta ad futuram gloriam, quę nobis reseruatur, contemnamus,

mus, & conteramus? Cur non expectatæ fœliciſſimæ immortalitatis aſſiduis cogitationibus, et beatiſſimi regni ſolida ſpe armamur, vt quicquid acciderit, ſedatè, et tranquillè perferamus? Si longiſſima noſtra ætas cum æternitate collata, vix vnius momenti inſtar obtinet, cur non quę breuia ſunt, leuia, & tolerabilia ducimus, atq; mentẽ vltra cruciatus, in ęterna bona, quæ nos manent traijcimus, ac leuem, & temporariam calamitatem, vel ſola futurę fœlicitatis attenta cogitatione deprimimus. De momentanea leuitate afflictionis noſtrę diuus Paulus exiſtimat, quòd mirè ſupra modũ, æternũ pondus gloriæ nobis pariat, dum non ſpectamus ea, quæ videntur, ſed ea quæ non videntur. Nam quæ videntur, tẽporaria ſunt, at quę non videntur ęterna. Etenim afflictione aut boni ſicut 2. Co. 4.

Iob

Iob, & Tobias explorantur, aut mali ſicut Manaſſes, & nonnulli reges Iuda corriguntur, atque emendantur. Vbi aut vis, & robur ſpiritus in fragilibus vaſculis euidentius deprehendi, aut pulchra, & eximia patientiæ virtus, ſplendidius elucere, aut fides paulo vehementius exerceri poſſet, ſi nulla ſanctos ærumna premeret? Nã quemadmodum ſtellæ lucent noctu, interdiu verò deliteſcunt: ſic vera virtus, vt ferrũ vſu, ita tentatione ſplendeſcens, vim ſuam, quam in proſperis occuluit, in rebus aduerſis expromit. Quomodo autem mali terrenas cupiditates deſererent, & flagitioſa ſtudia relinquerent, atque abijcerent, ſi nihil incideret huiuſmodi, quod eos ab amore mundi, & cõmuni philautia, ac praua, vitioſaq; cõſuetudine abduceret? ſiquid dẽ vt medicus, qui phreneticũ cõſtringit,

git, lethargum excitat, vtríque moleſtias exhibet, & tamen ambos amat, ſingulis non modo ſanitatem reſtitutam cupit, ſed in ea etiam reſtituenda artem, ſtudiumque ſummoperè adhibet: ſic deus caſtigatione licet moleſtus, ſalutem tamen ſuis amantiſſimè hoc pacto procurat. Quocirca beneficij loco Moſes afflictionem numerat, cum populum Iſrael his verbis affatur. Sed & hoc expendas tecum in corde tuo, vt ſicut quis caſtigat filium ſuum, ſic caſtigat te dominus deus tuus, vt incedas in vijs eius, & vt timeas eum. Pari ratione Dauid caſtigationem domini, vt inſigne beneficium, hoc epiphonemate celebrat. Bonum, quia afflixiſti, & humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. At cur ſuos deus deterioribus nonnunquam affligendos permittit? Certè filij dei, &

Deut. 29.

Pſal. 119.

Cur suos deus deterioribus nonnunquam affligendos permittit.

sanctissimi qui sunt, quotidiè quædam animaduersione digna admittũt. Nam ne in carne filiorum dei bonum inhabitat, sed in illis caro concupiscit aduersus spiritum, & sic in nouã creaturã immutantur, vt vetus homo tamẽ non prorsus exuatur. Possunt, sicut cęteri, illud Ioannis ad se quoque referre: Si dixerimus, peccatũ non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Siquidem cogitatio cordis humani in illis etiam procliuis est ad malũ, si occasio subministretur. Nulla datur sanctis, quamdiu huius lucis vsura non eripitur, huiusmodi prærogatiua, quo minus suæ humanæ fragilitatis, atq; imbecillitatis memores, cõmunes illas ecclesiæ totius precationes, domine dimitte debita, amplius laua, & ne intres in iudiciũ cum seruo tuo, ad se pertinere putent. Quocirca fami-

Rom. 7.

1. Io. 1.

Filii dei nõ sunt immunes à peccato, sed procliues potius ad malum.

familiam ſuã dominus, iudex æquus, iudicio ſuo primùm caſtigat, & in viã reuocat, atque inuocationis admonet, ne cum reliquo mundo condemnetur. Et quemadmodum animal omne fulmine percuſſum, faciem ſuam ad fulmen conuertit: ſic ſi domus dei voluerit intueri deum blandientem, cõpellet reſpicere ad ſe percutientem, iuxta illud: Cum occideret eos quæ- Pſal. 77.
rebant eum, reuertentes memoria recolebant, deum eſſe ipſorum petram, & deum excelſum eorum redemptorem. Quod ſi familia dei afflicta ad deum ſuum exinde ſuſpiret, eumq; ſtudioſè inquirat, & tacitũ eius conſiliũ æquiſſimis, ac patientiſſimis animis expectet, gemitus eius in aures domini ſabaoth intrat, qui ab aduerſariorũ manibus eam eripit, vt ex ſe ſolo pendere addiſcat, & ipſis etiam ſuorũ hoſtibus

si insultauerint, vltionẽ tandem infligit, ac virgam non officio tantùm suo in castigando functam, sed superbientem, ac sibi plus iusto arrogantem in ignem sæpenumero conijcit. Verùm vt generatim vna comprehensione summam rei complectamur, & compendiaria causarum compressione, ad finem instituti sermonis acceleremus, breuiter prẽcipuas causas commemorabo, cur suos deus cruce, & calamitatibus non rarò exerceat. Primò in hoc suis aduersa immittit, vt grauitatem iræ dei aduersus peccata sentientes, in sese penitus descendant, & spiritus sui dolum agnoscant, intelligantq; quàm longè ab eo absunt, vt sibijpsis moriantur, & dei tantùm gloriæ viuant. Crebrò irrepit in animos sanctorum fallax securitas, desidiosus torpor, insidiosa hypocrisis, blanda philautia,

Præcipuæ causæ cur suos deus cruce, & calamitatibus exerceat.

1

lautia, tacita ſuperbia, & occultus dei contemptus, quæ afflictione, tanquam igne, exuri, atq; excoqui debent. Deus enim zelotes eſt, & ſeriò amari, ac toto pectore coli deſyderat. Nihil amat ſimulatũ, nihil fucatũ, ſed omnia ſyncera, ſeria, & viua. Hinc iratũ ſe ſuis oſtẽdit, et mala infligit, vt fracti animo ſibiipſis diſplicere incipiant, & veternum, langorem, ſecuritatẽ, atq; hypocriſim excutiant, & in memoriam ſuæ infirmitatis reuocati, ſtudioſius deinceps deo ſupplicent, ac ſanctitati vitæ maiore cum ſolicitudine ſtudeant. Nam vt ſal conſeruat carnẽ, ne cõputreſcat, & corrodens emplauſtrum explorat, ac expurgat affectam corporis partẽ, ne ſanie contabeſcat, & admotum cauterium exurit, atque abradit, quicquid ſanitati membrorum aduerſetur: ſic afflictio, ne in fætore peccati com-

putreſcamus ab iterandis delictis retrahit, voluptatẽ acquieſcendi in malo aufert, ardorem libidinis extinguit, & facile in bono animo euellit, quicquid ſanam mentis valetudinem impediat.

2 Deindè calamitate electos deus ab amore mundi, vbi moleſta tantùm ſe, atq; acerba experiri ſentiunt, auocat, & ab illecebris creaturarum abſtractos ad ſe creatorem ſuum amandum, atque colendum abducit, & deſyderio rerum ſuperarum, ac diuinarum adeò inflammat, vt ad æternam, atque beatam in cœlo patriam anhelantes, nil hîc in terris niſi cœleſtem vitam toto ætatis decurſu meditentur. Quemadmodũ enim ab auro in vaporiferã fornacem coniecto, ſecernitur excoquendo, & adimitur quicquid adulterinum admixtum fuerat: ſic ærumnis amor creaturarũ, ac philautia noſtra,

& in

& in homines fiducia, quicquid deniq́ue ſyncerum non eſt, euaneſcit, atq́; exturbatur, & in deum animus, vnde requiem expectat, totus erigitur. Quapropter non abs re iudicium à domo domini incipit, cum ſanctorum animi hoc pacto, tanquam cera, emolliti, rectiore iudicio, & probiore voluntate donentur. Hoc olim in eo adumbratũ erat, quod cunctos finitimos populo ſuo Iſraeli dominus hoſtes eſſe voluit. Sunt autem cum priuatæ miſeriæ, & ærumnæ, tũ publicę calamitates, quodammodo vox legis, & vehementiores, quam vllę miniſtrorum in templo de agenda pœnitentia, conciones, quæ præ omnibus rebus maximè manifeſtant iræ, atque odij dei aduerſus peccata magnitudinem, quam nulla vis orationis adumbrare, nedum exprimere poteſt, faciunt vt relicta humana

ope,

ope, ad diuinam vera inuocatione, & propriæ imbecillitatis agnitione concurratur. Lapſos officij admonent, vt maior cautio deinceps adhibeatur, & vigilantiore oculo ſathanæ tentationibus, carnis deſyderijs, mundiſque illecebris reſiſtatur. Metum, & terrorem incutiunt, vt cæteri exemplo edito perterrefacti, & quid ſibi ſit extimeſcendum, documentum ab alijs ſumentes ad peccandum tardiores reddantur. Pręterea cruce dominus ſuos ſibi ſubijciendo veram obedientiam edocet, erudit ad patientiam, & ad voluntati ſuæ quieto animo obſequendũ aſſuefacit. Nam in perferendis ærumnis, atque miſerijs, inter pios, & impios, maximũ ſolet eſſe diſcrimen. Quomodo enim ferox equus, ſigna omnia ferociæ præ ſe ferens, ſeſſorem ægrè patitur, imo excutit, ſi poteſt, & tamen

velit

velit, nolit, domatur, manſuetior contra ſeſſorem fert libentius, quocunque ſignum dederit ſeſſor, ſeſe flectit, & ſe domari patitur : ſic cum impios calamitate ærumna, atque infortunio deus exercet, quamuis nihil proficiunt, recalcitrant tamen, & impatientes malorum, quantum poſſunt, reſiſtunt, pij verò humeros deo offerunt, patiunturque ſe regi, & voluntati diuinæ ſe totos ſummo mentis obſequio permittunt, vnde fit, vt quemadmodum illi impatientiæ nullum, ſic hi tolerantiæ permagnum fructū reportent. Nam vt ſol indurat lutum, liquefacit ceram : ita ferè afflictio bonos meliores, malos deteriores reddit. Sancti igitur è cœleſti patre ſalutariter ſe, ac paternum in modum corrigi, patienter ſuſtinent, quicquid deus imponit, cum vera animi humilitate perferunt, crucem ſuā,

id est, diuinitus destinatã quotidie sũscipiunt, in ea toleranda, donec cursum consummauerint, constanter perseuerant, vindictam, & vltionem, non disciplinam, furorem, & iram dei, non iudiciũ iuxta illud Ieremiæ deprecari solent. Corripe nos, domine, sed in iudicio. non in furore, ne comminuas nos, & ad nihilum redigas. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocarũt. Sciunt Christũ habere in singulis membris certum afflictionum quasi demensum, quod tolerari oportet, vt membra capiti conformẽtur. Non ignorant illud Augustini esse verissimum: Quod pateris, vnde plangis, medicina est tibi, non pœna, castigatio, non damnatio. Nam quomodo musicus neruos intendendo nullum abrumpit, sed meliorem, & dul-

Iere. 10.

De peccatorũ meritis & remissione.

dulciorem consentũ efficit: sic deus afflictione non perdit suos, verùm meliores reddit, & ad vsus futuræ vitæ accommodatiores, & sicut latomus cædit lapides, quos domui exędificandæ adaptat, eosque scalpit, & in quaduraturam redigit, priusquam ædibus admoueat, atq; adiungat: ita suos deus cruce versat, vibrat, exercet, & prępara-
rat, quos tanquam viuos lapides in habitaculum dei coædificare proposuit, & vanno velut triticum cribrat, ac vẽtilando à paleis in arca separat, antequam in cœlesti suo horreo reponat. Porrò pij nisi in tentatione non sentiunt vim, & fructum verbi, imò potius pace, & securitate freti, negligunt cõciones sacras, & vocem dei sui, quo decet timore, tremoreq; non excipiunt. Cum autem tentatio venit, tum demũ credũt ea esse vera, de quibus ante per

verbū ſunt admoniti, tum ſegnes animos timore dei exuſcitant, tum deniq; oracula diuina exaudiunt, et ad ſermonē numinis cum magna reuerentia cōtremiſcūt. Quo tēpore excellētē verbi vim claris oculis datur intueri, vt in eo vno propoſita ſit cōſolatio, maxima ęgrotātibus, afflictis, calamitoſis, ęrumnoſis, & ſpes, atq; ſalus vnica è vita migraturis, cum res cęterę, quę cœlo, terraq; continentur, iam hominem deſerunt, neque opis, & auxilij quicquam afferunt, quod bene valentes, & ſumma proſperitate elati, ſecundiſque rebus, ac ad ſuam volūtatem fluentibus inflati neglexerunt. Ad hæc ex malis diuinitus immiſſis, non raro beneuolentiam indulgentiſſimi patris illinc deprehendere licet, & quaſi teſtimonium diuini erga nos fauoris colligere, noſtræq; electionis ſignum elicere, quòd

quòd ſuos deus cum meritos affligit, per improbos fere, & non eo nomine, ſed propter rectè facta caſtigat, vt ab ipſis oppreſſoribus cõſolationem percipiant, à quibus tranquillitas pijs bifariam contingit, vel quia iniuriæ malorum amplius non ſuccedũt, vel quia ſanctis nihil dolẽt. Nam quamuis ſceleratè impij, peruerſo odio, & iniuſto furore in ſeruos dei ad tempus deſœuiant, citò tamen cum minis, terroribuſque ſuis, euaneſcunt, & extincti iacent, aut ſuis deus, qui reliquum apud ſe dei timorem, & fiduciam ſentiunt, tantùm robur occulto ſpiritus afflatu ſuppeditat, vt alacriter ferre parati ſint, quicquid ſibi viſum fuerit. Adde quòd dominus, quos amat, ad moleſtias ſubeundas euocat, vt, quomodo in ſe affecti ſint, probet, et certum amoris illorũ erga ſe, ac defixæ in ſuam bonitatem

fiduciæ documentum capiat. Hinc explorauit Abrahami fidem, patientiam Iobi, hinc Israelitas tentauit, an vt foris religiosè profiterentur, sic eum intus in toto corde, & in tota anima diligerent. Iam suos deus in periculum capitis, & summum vitæ fortunarumque omnium discrimen aliquando inducit, vt cum è periculis eius vnius ope præter spem emerserint, salus insperantibus nec opinato restituta, tum ipsos ad nomen domini celebrandum, et beneficia eius in omni cœtu recolẽda, alacriores reddat, quia quanto maius fuit periculum, tanto plenius in liberatione solet esse gaudiũ, tum alios illorũ exemplis ad beneficentiam dei vno ore prędicandam, & opem eius in aduersa fortuna constanter expectandã accendat. Inde manat votum illud piorum eucharisticum, quod in medijs

Genes. 22. Io. 1. Deut. 13.

8

peri-

periculis tam religioſè nuncupatur. Narrabo nomẽ tuum fratribus meis, Pſal. 21
in medio eccleſiæ laudabo te. Inde votum, quod fecerunt, tam ſanctè perſoluunt, vt præ inopinatæ, ac ſubitæ liberationis gaudio vox illa erumpat, plena adhortationis, atque inuitationis aliorum, ad nomẽ domini, propter immenſam ſuam miſericordiam, prædicatione, & laudibus efferendum. Qui Ibidem.
timetis dominum, laudate eum, vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum. Timeat eum omne ſemen Iſrael, quoniam non ſpreuit, neque deſpexit deprecationem pauperis. Nec auertit faciẽ ſuã à me, et cum clamarẽ ad eum, exaudiuit me. De te hymnus meus in eccleſia magna, & vota mea reddã in cõſpectu timentium eum. Nihil enim eſt, quod ſanctos magis exuſcitat, vt deum laudibus afficiãt, quàm quod miſe-

miſerorum precibus aurem adeò benignè accommodat, & vota afflictorũ
9 tam clementer exaudit. Poſtremò mundi libidini, & ſceleratiſſimorum tyrannorum ſæuitiæ, ſuos dominus obijcere ſolet, vt virtutem ſpiritus ſui, qua ſanctos ſuos armauit, orbi quaſi oſtentet, qui omnia terrena præ cœleſtibus, in teſtimonium, & preconium diuinæ bonitatis, erga ſuos electos fortiſſimè contemnunt, & quendam de principe mundi triumphum agunt, vt infirmiores pij roborentur, & ſceleratiores impij pudore ſuffundantur. Sãguine ſuo hi de internis ſimul, & futuris ſanctorum bonis palam teſtimoniũ ferunt, & iure in euangelij defenſione, ac iuſtitiæ, & innocentiæ patrocinio martyrum nomen obtinent, qui terribilem mundi tumultũ, ideo excitatum, quòd prædicationem verbi odit,

execra-

execratur, ferre non poteſt, pro nihilo putant, & minacem concurſationē regum, ac conſultationem principum aduerſus dominū, & aduerſus Chriſtum eius, ſpernunt, atque deſpiciunt, & nullis tormentis abduci poſſunt, quo minus infracto animo veritatem ad ſupremum vſq; ſpiritum animoſè, liberè, atque alacriter profiteantur. Quapropter aſſidua cauſarum recordatione, quæ dominum impellunt, vt ſuis mala infligat, excitemur, vt pacatè cuncta, quæ eueniunt, & placidè perferamus, & vel lætemur, ſi in iuſtitiæ propugnatione iniuſtè plectimur, vel mores corrigendi, & vitam emendandi anſam arripiamus, ſi meritò, & iure caſtigamur. Succurrat animo, quòd, vt mulier parturiens ingentem toto corpore ſentit in pariendo cruciatū, partu tamen facto, fætu in lucem edito, non

modò leuatur doloris sensu, verum etiam obliuione superiorum inducta, summo gaudio repentè perfruitur: sic afflictio, quæ primò acerba, atq; amara videri solet, iucundos tamen exitus tandem adferre, & lætos, ac dulces patientiæ fructus, ad extremũ edere consueuit. Absit longè à nobis, vt aut fortunam, aut casum opinionis errore fingamus, & sic temere aliquid, ac fortuitò accidere opinemur, licet verba illa, cõsuetudine loquendi, pro fortuito, vt videtur, rerum euentu vsurpare, nulla vetat religio, imò verò esse deũ cogitemus, & eius consilio, ac prouidentia, cuncta quàm optimè administrari statuamus. Dominus neci dat, & vitæ restituit, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & locupletat, euehit humilem, & superbũ deijcit. Per eum reges regnãt, & regna

Nullam esse fortunã, sed omnia dei prouidentia, quam rectissimè administrari.

1. Reg. 2.

à gente

à gente in gentem propter iniurias, & contumelias, fraudeque partas opes transferuntur. Absque voluntate cœlestis patris, nec passerem in terrã cadere, nec pilum de capite defluere, seruator in euangelio affirmat. Quàm solicitè autem dominus suis prospiciat, ipse apud Esaiam, hisce suis verbis apertè significat. Portamini in vtero meo, gestamini in mea aluo, senescentem ecclesiam ego portabo. Ego feci, ego feram, ego baiulabo, & eripiam. Quocirca irascitur dominus, quando diuino auxilio relicto ad humanum cõfugimus, quod ex illa eiusdem prophetę sententia intelligitur. Ægyptius homo est, & non deus, & equi eorum caro sunt, & non spiritus. Quumque dominus extenderit manũ suam, corruet, qui fert auxiliũ, & qui auxilium expectat, concidet, atque omnes simul

Prouerb. 8
Ecclesia. 10
Math. 10.
Esa. 46.
Esa. 31.

consumentur. Discamus igitur opem dei cum magna fiducia præstolari, & eius vnius nutum intueri, & boni cõsulere, ac patiẽtissimo animo tolerare, quicquid cœlestis illius prouidentia nobis benignissimè dispensat. Sequamur consilium Cypriani, sanctissimi martyris, qui pium animum instruit, quomodo mala, quæ vel ipsam naturã hominis comitãtur, vel fortuitò inferri videntur, sibi in materiam coronæ cõuertat. Sic enim scribit. Excutitur aliquis facultatibus suis, siue bello, siue naufragio, siue rapina. Ne protinus hic cogitet laqueum, aut rationẽ malis artibus sarciendi quod perijt, sed ita secum loquatur: Dominus est, qui tẽtat me, an diligam ipsum ex toto corde. Ipse dedit, ipse abstulit. Sit nomen domini benedictũ. Gratias agat, quòd acceperit ex domini benignitate, agat gratias

In lib. de dupl. martyrio.

gatias quòd amiſerit ad probationẽ fidei. Si hæc dixerit eo animo, quo dixit ſanctus Iob, cum illo mercedem accipiet. Nec enim dominus æſtimat, quãtum quis perdat, ſed quàm patienter, quemadmodum nõ reſpicit, quantum aliquis largiatur egentibus, ſed quo animo. Habet aliquis filium vnicè charum, eo te mors orbat præmatura, peſtilentia ſpoliat te chariſſimis, ſponſa, liberis, amicis, ferto patienter, & dic: Domino ita viſum, & ſic fortaſſis, & nobis expediebat, & noſtris. Sit nomẽ domini benedictum. Sunt & morbi, qui non minus atroces habent cruciatus, quàm vlla poteſt inferre tortorum ſæuitia, veluti pleuritis, iſchiaſis, podagra, paralyſis, calculus, renum & veſicæ exulceratio. Tale ſi quid acciderit, ne mens exaſperetur ad impatientiã, ne lingua erumpat in voces blaſphe-

mas, sed cum beato Dauid, & heli sacerdote dicat : Dominus est, faciat quod bonum est in oculis ipsius: ita mala, quæ non inferuntur ob Christi professionem, vertemus nobis in coronam, & Christo in gloriam. Ac licet fortasse, vt dominus nostra tolerãtia propitiatus, aut auferat afflictiones, aut mitiget. Quod si nõ fit, tamen hac ratione faciemus, vt quod animo impatienti fuisset intolerabile, fiat patientia mitius. Impia ergo murmura, plena desperationis, ac diffidentiæ, atque euidentissima prauarum opinionum indicia, secundum præclaram huius grauissimi authoris sententiam, in afflictionibus facessant, procul pellantur iniustæ contra dominum querelæ, humiliemur sub potente manu dei, & disciplinam eius, qui excitatam contra sua decreta seditionẽ, nunquam inultè tulit,

Cõtra impia in afflictionibus murmura.

tulit, æquo animo recipiamus: Dicat quisque calamitosus, & ærumnosus cum Michea propheta: Iram, & indignationē domini portabo, quia peccaui ei, & cum Daniele: tibi domine iustitia, nobis autem confusio. Ad instantem orationem, iugemque scripturarum meditationem, tutissimum cordis munimentum, confugiamus, è quibus si sententiæ aptæ decerpantur, & cum magno iudicio sobriè colligātur, quas ad manum, & velut in procinctu habeamus, non modò serpentem caput erigentem deijciunt, & ad omnes animarum morbos presens remedium suppeditant, verum etiam ad quæque mala incurrentia patienter toleranda armant, atq; instruunt. Cogitetur spurios esse, nō filios, quos dominus non castigat, & malum diuinæ reiectionis signum inde deprehendi posse

Michææ vltimo.

Daniel. 9.

Heb. 12.

posse, si quis cruce perpetuò vacat. Obuersetur animo diligentibus deũ,
Ro. 8. omnia in salutem proficere, atque in bonum cedere, & afflictionem, non odium dei arguere, sed amorem potius declarare, qui ad tempus vt filios castigat, quorum plusquam paternam curã gerit, & eos ærumnis exercet, quos ad imaginem primogeniti sordibus peccatorum exutos, vita beata atque immortali, donare decreuit. Veniat in mentem ideo dominum mala immittere, vt vetere homine edomito ad verbum eius humili, & fracto spiritu cum reuerentia quadam contremiscamus. Recordemur verissimæ illius similitudinis, quòd, vt semina messium gelu cooperta, fertilius germinant, & ignis flatu premitur, vt crescat, sic nostrum in se desyderium deus rebus aduersis vehementius rapit, exuscitat,

atque adauget. Solatia exemplorum proponantur, quibus firmior animus ad incommoda perferenda, & acerbitates tolerandas efficitur. Exemplo Christi toleranter feramus crucem, & ad Iesum ducem, ac fidei consummatorem, dum malis vrgemur, respiciamus. Quis tam superbus, vt filium dei sequi recuset? Cur queritur discipulus, cum magister præcedit, seque subsequi iubet? Cur seruus domino meliorem sibi conditionem deposcit? An non Christus filius dei, per crucē ad triumphum, per ignominiam ad gloriam, per mortem ad immortalitatē ascendit? Et nos (inquit diuus Paulus) eisdem vestigijs insistentes, per eosdem gradus, ad eandem gloriam ascendamus. Nam si commoriamur, & conuiuemus, si sufferimus, & cōregnabimus. Iacob dominus dilexit, E-

Exemplis demonstratur, eos dominū castigare quos diligit.

Heb. 12.

2. Timot. 2.

1. Pet. 2

ſau autem odio habuit. At plura huius vitæ mala, Iacob quàm Eſau pertulit. An non Saule repudiato, Dauidem humilimum paſtorẽ prætulit? At eum vt cruce exercet? quàm varijs calamitatibus affligit? quoties in ſummum vitæ periculum adducit, vt nullum euadendi locum reperiret, niſi diuinitus eum dominus eriperet? Quid de Da. 6. & 14. Daniele loquar, qui bis in foueam leonum coniectus, bis numinis fauore euaſit? Quid Iobum commemorem, ſingulare patientiæ exemplum? Cui omnia dominus, & vitæ ornamenta, & valetudinis ſubſidia, iniecto etiam corpori eius fœdiſſimo vlcere, ademit, & duplo plura reſtituit. Diſcant hîc filij dei ſanctos à ſolo deo in afflictionibus pendere, & ab eo tantùm opem, atque ſalutem expectare, vt fidenter cum Dauide dicant: Dominus

eſt

est lux, & salus mea, quem igitur me- Psal. 26
tuam? Dominus firmamentum, ac robur est vitæ meæ, quis ergo me perterreat? Si me hostium castra circumsedeant, non trepidabit animus meus. Si præliorum in me vis, & furor inuadat, placida, & tranquilla mente consistam. Nam tales, quicquid fors tulerit, tam æquo animo ferunt, vt etiamsi fractus illabatur orbis, impauidos feriant ruinę, quemadmodum ille canit. Discant beatam esse gentem, cuius do- Psal. 32
minus est deus, & populum quem elegit in hæreditatem sibi, circa quem angeli domini castra figunt, vt eum tutentur, & mirabilibus modis eripiant. Discant nõ seruari regem in mul- Psal. 32
titudine exercitus, & gygantem non seruari in multitudine roboris sui. Fallacem esse equum ad salutẽ, & in multitudine virium sessorem non seruari.

Suauem illam cantilenam, non solùm sermonibus celebrare, sed vita etiam, atque factis exprimere discant. Hi in curribus,& hi in equis:nos autem nomen domini dei nostri inuocabimus. Quod si animis hoc pacto affecti, in eisdem cum populo Israelitico angustijs versarentur, vt à tergo haberent Pharaonem crudelissimum cum amplissimo exercitu, à fronte mare profundum,à lateribus altissimos montes, non tamen metu exanimati desperarent, sed summa animi æquitate promissum à Mose duce dei omnipotentis, auxilium taciti expectarent, iuxta illud: Constantes estote, & videbitis salutem dei,quam vobis feret.Dominus bellum geret pro vobis, & vos tacebitis. Qui non defugiunt in perferendis ærumnis conditionem Christi, prophetarum,apostolorum,ac sanctorum

Psal.19

Exod.4

rum dei martyrum, nec præstabiliorem ipso angulari lapide Iesu columniſq; eccleſiæ, electiſſimis dei prophetis, atque apoſtolis, vitæ ſtatum ſibi depoſcunt, & ſic pendent à deo, ac tam ſedatè perferunt, quæcunque diuina nobis prouidentia diſpenſat, vt abſque lamentis, & quærela, abſque præſentis ſortis deploratione, & omni illicito conatu, aut ſibi proſpiciendi, aut res ſuas expediendi, ſolius dei opem expectẽt. His deus deeſſe nequit, quin eos mirificè contra opinionem omnium, frequenter eripiat, ſicut non modò exemplis liquet, ſed in libro etiam pſalmorum euidentiſſimè patet. Sile deo anima mea, quoniam ab ipſo expectatio mea, vtique ipſe eſt propugnaculum, ſalus mea, arx mea, non vacillabo. Animus ſic affectus nequaquã à deo repulſam feret, ſed aut immenſum cœ- Pſal. 61

Sanctorum tranquillissimus est animus in rebus adnersis.

lesti beneficio in malis omnibus solatium, aut liberationem, vel saltem malorum mitigationem percipiet. Ex hac in deum fiducia manat, vt sancti tranquillissimo sint animo in rebus aduersis. Tres illi nobilissimi pueri, in flammifera fornace psallūt, & omnes creaturas, cunctasque totius mundi particulas ad glorioſum dei numen prædicandum, ad perpetuam eius bonitatē celebrandam ſuauiſſimo carmine inuitant. Eodem pacto Paulus, & Silas in quadam Macedoniæ ciuitate, virgis cæſi, & in interiorem carcerem ſic cōiecti, vt pedes ligno etiam ſtringerentur, media nocte deum ſuum laudibus efferebant, & hymnum alacri animo concinebant. Quapropter amabiliorē ſe deus in rebus aduerſis, quàm proſperis præbere exiſtimatur. Inde quantam præ ſe alacritatem fert oratio beatiſſimi

Acto. 16

tissimi apostoli, quantum gaudium, quantam in domino gloriationẽ, dum commemorat suos labores, verbera, carceres, lapidationes, naufragia, vigilias, famem, sitim, frigus, nuditatem, innumerabilia denique pericula, & frequentes mortes, dum placet sibi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persequutionibus, in anxietatibus pro Christo, dum in tot rebus asperis, tot miserijs, tam immensis, quæ perfert euangelij causa, magis semper in domino gaudet: dum impletur consolatione, vehementer affluit, & exundat gaudio in omni afflictione sua, dum in medijs calamitatibus, pia quadam lætitia elatus exclamat. Benedictus deus, & pater domini nostri Iesu Christi, qui est pater misericordiarum, & deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione

2. Cor. 11.

Colos. 1
2. Cor. 7.
2. Cor. 1.
Actor. 5.

nostra

noſtra, in hoc, vt poſſimus conſolari eos, qui ſunt in quauis afflictione, per conſolationem, qua nosipſos conſolatur deus. Hinc apoſtoli cæſi ibant gaudentes à conſpectu concilij quòd digni habiti eſſent, qui contumelia pro nomine Ieſu afficerentur. Quocirca quamuis eccleſiam dei impia multitudine, grauioribus premi huius vitę miſerijs ex eo conſtat, quòd Abel a fratre interfectus, Eſaias ſerra à Manaſſe crudeliſſimè ſciſſus, Ieremias in Ægypto à plebe lapidibus obrutus, Zacharias à pontificibus, ab Herode Ioannes, à Pilato Chriſtus, à Iudæis Stephanus morte mulctatus, à ſæuiſſimis tyrannis apoſtoli, & tot martyres capitali, ſupremoque ſupplicio affecti legantur, & ab impijs deriſoribus pij vſq; adeò conculcentur, vt pro abiectiſſimis, cõtemptiſſimiſque ſæpenumerò habeantur,

Sap. 5.
Eſa. 8.

antur, & ſtultitiæ illis inſanæ, atque ſeditioſæ innouationis crimen non rarò obijciatur, vt propheta inde odijs, inuidijs, conuicijs, maledictis, probris coactus exclamauerit: En ego, & pueri, quos dedit mihi dominus, ſumus in ſignum, prodigium, & portentum Iſrael. Iuuat tamen meminiſſe in tantis vitæ huiuſce malis, tamque varijs rerũ humanarum caſibus, ac mundi agitationibus, in tot opprobriorum, atque ſuppliciorum terroribus, quàm longè à tumultuando abſunt ſancti, quam lęto, ac hilari vultu ab hac vita abeunt, & quam fidenti animo, ad mortem, tanquam ad vitæ ſempiternæ ianuam, gradiuntur. Septem fratres cum generoſa matre, quorum mentionem intermitti hiſtoria Machabæorum non ſinit, vt dira tormenta contemnunt; vt crudeli tyranno illudunt; vt omnia 2. Mach. 7.

præ futuræ immortalitatis gaudio in illorum oculis vilescunt. Nec mirũ, licet animalis homo, spiritu dei vacuus, obstupescat. Nam dominus suorum corda, qui conscientiam bonam, & charitatem, omnia, quantumuis acerba, atque tristia edulcantem habent, delegit, quibus pacem suam, quæ superat omnem sensum, atque intellectum, suauiter inspiret, & quæ sibi sint vice templi, in quo inhabitet, atque inambulet. Inde nascitur mirabilis sanctorum patientia, qui suam obedientiam, amplissima olim mercede remunerandam à cœlesti patre per Christũ acceptari, charãq; haberi intelligũt. Inde, animus totus à deo possessus, roboratur, & viua immortalitatis spes confirmatur. Solus deus, summũ, idemq; omne bonum, spiritus sui in cruce cõsolatoris præsentia sic solatur, & gaudio

Causa, efficiens tranquillitatẽ sanctorum in afflictionibus.

dio exatiat ſuorum mentem, vt omnem iniuriarum, paupertatis, exilij, contemptus, ignominiæ, carceris, tormentorum, & cæterarum calamitatū, atque miſeriarum, ſenſum aut planè deponant, aut certè fortiſſimè cōtemnant. Nam mortem, cum apoſtolo diſſolui cupientes, & optima moriendi ſpe imbuti, in lucro deputant, quæ à miſerijs abſtrahit, & ingreſſum ad omnium bonorum affluentiam præbet, quo cum Simeone, qui poſt aſpectum pueri Ieſu in hanc vocem erupit: Nunc domine ſeruum tuum in pace dimitte, velis paſſis peruehi cupiunt, vt animus è vinculis corporis ſolutus, in quo quodammodò tanquā conſopitus iacet, ad placidiſſimā quietem, dulciſſimam pacem, & vitam ſempiternam ſubuolet, vbi æternas voluptates, lætitias, iucunditates, ex abun-

dantissimo beatissimi numinis fonte perpetuò hauriat. Quis igitur cùm viatoribus ad primum itineris lapidem
2. Cor. 5. non mauult extingui, si deo ita visum fuerit, quàm in vniuersa via conficienda tot molestias, labores, pericula, cũ summo vitæ tædio subire. Siquidem gemunt filij dei in terreno huius habitaculi domicilio, quo destructo, ædificium à deo se habere sciunt, domicilio non manufactum, æternum in cœlis, cuius firmissima spe accensi, molestias omnes non sedato solùm, sed libenti etiam animo perferunt, exiliũ in causa iustitiæ, & euangelij propugnatione leue ducũt, agnoscunt præmium veritatis, in hac vita odium mundi, persequutionem, famem, exilium, quod cũ sanctissimis dei exulibus subire, atque incertis sedibus vagari malunt, quàm manendo apud idololatrias, lauta, atq;

deli-

delicata vita frui, vt illorum interim peccatis assentiri, atque subscribere, & sic gratiam dei, vitamque æternam amittere necesse habeant. Fidunt verbis Christi, quòd si deserit hæc regio, alia suscipiet, quomodo Iacobum suscepit Mesopotamia, Mosen terra Madian, Dauidem, è Iudæa pulsum, Palęstina, Iosephum, & Christum Ægyptus. Nusquam desunt viri dei amãtes, qui illius dicti memores, qui vos recipit, me recipit, euangelij in iuuãdis inopibus eius defẽsoribus participes fieri cum cupiunt, tum etiam de oblata occasione gaudent, eamque plurimi faciunt, quorum corda dominus mouet, vt sanctos dei profugos læti iuuẽt, foueant, hospitio excipiant. Quocirca de victu minimè sunt solliciti, sed iactant curam in dominum, qui dat iumentis cibum suum, & pullis coruo-

Math. 10.

Psal. 146

rum inuocantibus eum, illis, dum in auijs montibus errant, demisso imbre, herbam educit, horum crocitationē, tanquam precem ad se susam exaudit, & quos matres tum albos, velut degenerem partum auersatæ, implumes deserunt, ac simulatq; hi excluſi sunt, auolant, eos deus vel rore, vt quidam putant, vel enatis in nido vermiculis pascit, qui si bestijs, & volucribus tam benignē prospicit, quanto ampliore bonitate populo suo, ex fide ad ipsum vociferanti, & eius vnius opem intuenti aderit? Quod si non semper contingit, vt populus dei liberalem victū à deo seruatore suo percipiat, tenuem tamen, & parcum iuxta illud promissum, dabit vobis dominus panem afflictionis, & aquam oppressionis, cui dominus in extremis stare solet, expectant, quo cruce exerciti facile cōtenti esse

Esa. 30

esse possunt. Nam neminem suorum dominus, ad supremam mendicitatem redigi, & fame mori permittit, nisi sint Lazari, hoc est, in singulare tolerantiæ exemplum delecti, ideoq; Eliam pulsum, & fuga sibi prospicientem à coruis, à vidua, ali, nutririque voluit. Iam malorum diuturnæ prosperitati firmiores sancti non indignantur, quorum conuersionem, & emendationem potius exoptant, quàm, vt in sceleribus impiè, obstinateq; persistentes, tartareis ignibus adiudicentur, & partem cum diabolo, eiusque angelis sortiantur. Norunt enim eam esse voluntatẽ domini, vt aut diuturniore fœlicitate impij, ad suam impietatem deserendã, & pœnitentiam agendam inuitentur, aut quia æterna bona respuũt, vt temporaria illis bonus deus mensura pleniore, & largiore admetiatur, ne nihil

Quatuor causæ cur malos deus tam diu florere sinit.

1. Cau. Ro. 2.

2. cau.

à boni-

Luc.16. à bonitate eius percipiant, aut vt homines à cupiditate vindictę diuino exemplo arceantur, & ad inimicos diligendos prouocẽtur, cum ſuis deus inimicis, non ſolum parcat, ſed etiam benefaciat, aut impijs hominibus pro armis deus vtatur ad punienda ſcelera improborum, & ad virtutem piorum exercendam. Quod illa Dauidis precatio pſalmo decimo ſexto inſerta innuit: Exurge domine, eripe animam meam ab impio, qui eſt gladius tuus, ab hominibus, qui ſunt manus tua.

Math.6. 3.cau.

4.cau.

Pſal.16.

Peroratio cum cohortatione, & quadam ſuperiorũ repetitione.

Vſurpaui iam mihi, in toto hoc de vera animorũ pace, ſermone, quod quis facile, & bona cum venia concedat, cotis officium, quæ ferrum reddit acutum, cum ſit inutilis ad ſecandum: ſic ego veram mentis quietem pulchro virtutum omnium comitatu ſtipatam, & omnigena donorum dei varietate,

ſplen-

ſplendidè diſtinctam, penicillo huius continuatæ orationis depinxi, pictor fœdus, & ab humanis perturbationibus nequaquam vacuus, alioſque ad perfectionis littus dirigere ſum conatus, ipſe malorum meorum ſatis conſcius, qui in medijs delictorum fluctibus me adhuc verſari, non immunem à naufragij metu, in tanta inundantiũ incommodorum magnitudine, probè intelligam. Propoſui placidam ſanctorum, cum in rebus omnibus, tum in afflictione præcipuè, tranquillitatem, nõ vt eam tanquam otioſi ſpectatores curioſis ſolùm oculis contemplemur, & inani fructus applauſu, geſtientes excipiamus: ſed vt inflammato ſanctos ſtudio imitantes, ad eam velis, equiſq; certatim enitamur. Quocirca ne hæreamus in quatuor illis vitioſis finibus, quos ambitioſi, auari, voluptarij,

ac κυνικοὶ philosophi sibi proponunt, ne confidamus, vel præsidijs hominũ, vel copijs amicorum, vel magnitudine facultatum, vel viribus exercituum, & potentia armorum, vt huiusmodi nos adiumentis tutiorem, & tranquilliorẽ vitam acturos arbitremur, sed omnem fiduciam ad verum deum, veræ animorum tranquillitatis authorem trãsferamus. Non irrumpamus inepta Minerua in alienas functiones, sed hoc vnum agamus, vt simus contenti nostra sorte, & quæ obtigit Sparta, hanc diligenter ornemus, nec cupiditate eò perueniendi, quò aspirare non possumus, voluntarios dolores accersamus. Absit longè à nobis artium inconcessarum studium, & teratur manibus verbi diuini volumen, vt in eo dies, noctesque meditantes, vberrimo, ac iucundissimo animum solatio recreemus,

mus,& rectum illinc iudicium,cum in agitatis fidei controuerſijs,tum in alijs rebus omnibus, tanquam è puriſſimo fonte hauriamus, vt indè edocti,certa nota expiſcamur,quis cultus deo probetur,quis autem ei diſpliceat,et intelligenter internoſcamus verum à falſo, iuſtum ab iniuſto,ſyncerum à fucato, honeſtum deniq́ue ab inhoneſto, & perſpicaci prudentia dijudicemus, inter opus dei,& opus ſathanæ,ac alterũ ab altero ſcienter, ſolerterq́ue diſcernamus,ne mala per hominum peruerſitatem, & diaboli malitiam importata,euangelicæ doctrinæ non imperitè ſolùm,ſed impiè etiã aſſignemus. Procul pellantur perturbationum impetus,& angores conſcientię,confugiendo ad Chriſtum ſubmoueantur. Approperemus ſolida fide ad hunc noſtrũ ſeruatorem,& ab eo ſolo pendere ad-

discamus, per quem à vanis bonorum simulachris, ad vera, & æterna bona deducimur. Adeamus, etiam conscientijs perculsi, pium, taciturnum, beneuolum charitate flagrantem, nostris malis compatientem, eruditũ, in scripturis exercitatum, munere scientiæ instructum ecclesiæ ministrum, qui vt peritus medicus, singulis animorum morbis, medicinam opportunè facere, & velit, & valeat, qui cum propriæ cõscientiæ deiectionem, ipse in se olim sẽsit, nostram vacillantem, & labascentem facilè eriget. Quod si talis ad manum non adsit, sed nec facilè inuestigari possit, vt eius nobis copia fiat, spretis indoctis, impijs, garrulis, ebrijs, quicquid in aurem insusurrauimus temerè statim effutientibus, nullo proprio peccati sensu affectis, nõ sacerdotibus, sed sacerdotũ carcinomatis, nec mi-

miniſtris Chriſti, ſed ſathanæ mancipijs, & reipub. fæcibus, à quibus non peccati remedium expectare, nec ad pietatẽ erudiri poſſumus, qui exemplo deteriores poſſunt, doctrina meliores efficere nequeunt, ad laicum eiſdẽ cum pio miniſtro virtutibus prędituũ, ſi eius poteſtas detur, accedamus, cũ eo cõmunicemus, ei mala noſtra exponamus, & ſi quam opem ferre poſſit, eam grato, atq; libenti animo accipiamus. Crebrò meminerimus myſterij redẽptionis noſtrę in Chriſto peractę, et ſicubi euchariſtia ſacra ritè ex inſtituto domini diſpenſetur, illuc ad eam dignè percipiendam, frequenter cõfluamus, quo fiet, vt plena ſalutis fiducia, animum roboremus, & cœleſti voluptate perfruamur, dum viuimus, & optima moriendi ſpe imbuamur quando ab hac luce à deo euocati excedimus. Per-

timeſcamus, abiecto pudore, velut propudia, nos falſis dijs proſtituere, & adulterio cõmiſſo impiè deficere à deo noſtro, & relicto hoc caſtiſſimo, atque amantiſſimo marito, cum idolis meretricio more impudenter ſcortari, ne diuortio facto, & libello repudij dato, ac cœleſti fauore penitus amiſſo, regni beatiſſimi hæreditate priuemur, & iucundiſſimo dei conſpectu, angelorum contubernio, ſanctorum conſortio noſtra culpa impepetuum abdicati excludamur: Bonas intentiones, quæ
2. Reg. 6. ſic videntur, à verbo dei alienæ, vnde
1. Reg. 15. nõ rarò Διδασκαλίαι λαιμονίων, θελοθρησκίαι impijq; ritus naſcũtur, ne affingamus nobis, ſed magna cautione repudiemus, quibus decepti Iſraelitæ liberos exurebãt Saturno, Aaron erexit vitulũ, vt populũ retineret in officio, Iudæi
Io. 16. perſequebãtur ſanctos apoſtolos, quòd

cul-

cultum se deo præstare arbitrarentur. Recordemur, quid Oze arcam tenenti, Sauli regem Agag, & præstantissima armenta seruanti, acciderit. Cogitemus non esse innitendum nostræ prudentiæ, nec consiliũ cordis humani, quod omni tempore in malũ propendet, sequendum, nec faciendum, quod nobis bonum, rectumque videtur, sed quod dominus deus noster mandauit, fierique præcepit, cuius vocem si audiamus, ne obduremus corda, sed in eius auditione veram nostrã obedientiam declaremus, quam semper dominus victimis, & holocaustis prætulit. Quamdiu spiramus, & spiritum ducimus, ne assentiamur mundi illecebris, sathanæ suggestionibus, & carnis nostræ desyderijs, nec insidiosa illorum assentatione fascinati, & velut suaui Sirenum cantu deliniti, in dulci,

Prou. 3.
Genes. 6
Deut. 12
1. Reg. 15

vt

vt flagitiosis videtur, vitiorum somno acquiescamus, sed repugnemus pro viribus, & cum his tribus inimicissimis aduersarijs ἄσπονδον πολεμον nobis perpetuò gerendum censeamus. Reuocemus in memoriam deum sanctificationem nostram exigere, & bene viuendo colligamus testimonium bonæ conscientiæ, & viuam spem vitæ sempiternæ non solùm apprehendamus, sed etiam quotidiè adaugeamus. Agnoscamus ablatum à nobis vnicum animarum solatium, sanctissimum dei ipsius verbum, in quo regnum Christi spirituale constat, propter nostram ingratitudinem, & commeruisse nos, vt tam insigni beneficio priuaremur, cuius alta cogitatione, sacer Psaltes obstupefactus cecinit: Non fecit deus taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis, iusto dolore ingemis-

Psal. 147

miſcamus. Precemur à deo aſſiduè, vt oblitus peccatorum noſtrorum redeat nobiſcum in gratiã, & ſi minus noſtræ indignitatis intuitu, at ſui tamen nominis illuſtrandi, & honoris aſſerendi cauſa exurgat, conſtantes ſynceræ religionis propugnatores liberet, obſtinatos veritatis aduerſarios deijciat, & tenebrarum authoribus, atque animarum interfectoribus, debitas pœnas iuſto ſuo iudicio infligat, qui cognoſcentes deum, non vt deum glorificãt, nec obediunt euangelio domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed cogitationibus e- 1. Tim. 2
uaneſcentes, & ſuæ prudentiæ innitẽtes, illud potius opprimunt, qui niſi breui reſipuerint, pœnam luent, interitum æternum, à facie domini, & à gloria fortitudinis illius, cum venerit, vt glorificetur in ſanctis ſuis, & admirandus fiat in omnibus credentibus.

Afflictionem autem, si inciderit, beneficij loco numeremus, cum nos dominus, tanquam filios, potius erudit, ac in viam reuocat, quàm vt spurios, & reprobos abijcit, & grauioribus gehennæ pœnis reseruat. Impia in afflictis rebus murmura aduersus clementissimũ numen arceantur, & acceptissimũ deo sacrificium, grata eius inuocatio, spei, ac fiduciæ plena, frequentetur. Si presserit calamitas, neque vlla miserijs, & ærumnis detur intermissio, diuina promissione suffulti, mentẽ vltra cruciatus, in æterna bona, quæ nos dei amantes manent, traijciamus, & dura mala, quę iam vrgent, ex collatione facta ad futura immortalitatis, & æternorum gaudiorum præmia conferamus. Statuamus nullam esse fortunã, nullum casum, sed cuncta dei optimi maximi consilio quam rectissimè admi-

miniſtrari, & quicquid incommodi, aut calamitatis acciderit, in illorum bonum cedere, qui pietatem colunt, et deum toto pectore amant, ardent, ſuſpirant, atque eum omnium ſuarum rerum defenſorẽ, adiutoremq; adoptant, eum vnum inuocant, ad eius ſolius miſeriordiam confugiunt, & in eo, tanquam vnico præſidio, ſpe ſua collocata, aquieſcunt. Sic gratuita dei bonitate, miericordia, clementiaque confiſi, ſummo imbuemur ſolatio, & æternorum, ac verorum bonorum amore accenſi, pleno curſu feremur, ad exoptatiſſimam illam animorum pacẽ, vbi ſpiritu impleti, in omni fortuna ſiue proſpera, ſiue aduerſa loquamur nobisipſis, per pſalmos, & hymnos, & cantiones ſpirituales canentes, ac pſallentes in corde noſtro, domino gratias agẽtes ſemper de omnibus, in nomine

Epheſ. 5

domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt idē
1.Tim.6 heri, hodiè, & vſq; in ſecula, deo etiam patri qui rex regnantium, & dominus dominantium, ſolus habens immortalitatem, & lucem, habitans ἀπρόσιτον, vt apoſtolus inquit, pleniſſimam illam vitæ æternæ requiem, in ſanctorum animis hîc tantùm inchoatam, cui ſuſpiramus, electis ſuis per dilectum filium, in quo nos ſibi charos reddidit, vbertim, copioſè, & profluenter impertiet, cui imperium, virtus, poteſtas, laus, honos, & gloria in æuum ſempiternum. Amen.

MVSEVM BRITANNICVM

τῷ βίῳ λόγος

EXCVSVM
Londini, apud Gulielmum Sereſium.